FRID. GUIL. DOERINGI

COMMENTATIONES ORATIONES CARMINA

LATINO SERMONE CONSCRIPTA.

ACCEDUNT

FRIDERICI JACOBSI

EPISTOLA AD DOERINGIUM SENEM FELICISSIMUM

ET

E. F. WUESTEMANNI

ORATIO IN DOERINGI MEMORIAM HABITA.

NORIMBERGAE

SUMTIBUS FRIDERICI CAMPE

1839.

GENIO

EICHSTADI

SACRVM.

Ern. Fr. Wuestemann

HENR. CAR. ABR. EICHSTADIO

viro splendidissimo

S. P. D.

Quum ex annalibus academiae Jenensis non minore elegantia quam diligentia abs TE, vir illustrissime, perscriptis jam pridem intellexissem, hoc anno TE decimum doctoratus academici lustrum esse conditurum, nuper ex litteris TVIS humanitatis officiique plenissimis festum hunc diem proxime subesse non sine summa animi voluptate cognovi. Is enim nuntius gratissimus mihi fuit, quod, quum diu in votis habuissem, ut, quanto ego TE cultu prosequerer, coram aliis testificari possem, meae in TE voluntatis significandae maxime opportunam me nactum esse occasionem sensi. Nam ut in publicae gratulationis et laetitiae, quam

festus ille dies habiturus est, ego pervenire cuperem societatem, plurimae eaeque admodum graves me impellere debuerunt causae. TV academiae Jenensis jam Senior eam litterarum universitatem ornas ac nominis TVI splendore illustras, in qua tuenda ac conservanda nostrae terrae principes haud minimam regni sui gloriam omni tempore posuerunt; TVAE tutelae mandati sunt juvenes, quotquot ex nostris terris studiorum suorum causa Jenam se conferunt; TV, humanitatis litterarum eximius apud Jenenses stator ac custos, seminarii philologici, quod TVIS potissimum auspiciis Jenae floret, rector constitutus es ac moderator, plurimosque disciplinae nostrae alumnos, qui litterarum studia apud nos ingressi sunt, quasi per nostras manus traditos inde ex longo tempore a nobis accipis optimis artibus erudiendos. Hoc autem quod per ipsas litteras nectitur vinculo num quid aliud cogitari potest aut firmius aut honestius? Ad haec omnia accedit singularis illa benevolentia, qua TV rebus nostris bene cupere nunquam desiisti. Diu est enim, ex quo TV nullam praetermisisti occasionem, quin scholam nostram diligentissime commendares; quod TVVM hominis intelligentissimi judi-

cium gymnasii doctoribus debet esse honorificentissimum. Sed non defuturos esse auguror, qui sint miraturi, quod, quum in TVVM honorem aliquid conscribere constituissem, in alieni operis aditu quasi ac vestibulo id agendum esse putaverim. Nimirum is locus est longe aptissimus. Nam ut taceam, haud pauca in Doeringianis TE esse inventurum, quae TIBI probatum iri speramus, hic liber Doeringii manibus sacer est. Ji vero, ut TIBI pro plurimis, quibus vivum rectorem nostrum eundemque nobis ereptum ornavisti, benevolentiae documentis aliquam persolverem gratiam, flagitare paene videbantur.

Cogitanti vero mihi, de qua potissimum re per has litteras TECVM agerem, non diu id poterat dubium esse. Scilicet de rebus quae doctrina continentur nec possum ego scribere, nec, si possem, hanc gratulationem, quae tota in jucunda quadam oblectatione debet versari, id arbitratus sum decere. Familiari potius sermone TE, rebus gravissimis occupari solitum, paulisper detinere placuit. Quod ut mihi sumendum esse crederem, persuasit TVA humanissimi hominis comitas, quam semel quidem his meis oculis licuit cognoscere, sed quam brevi tempore ita per-

spexi, ut viva TVI imago menti meae impressa haereat. Saepissime enim subit animum illius temporis jucundissima recordatio, quum ante hos fere decem annos TE videre mihi contigit Altenburgi apud Ramshornium. TV quidem exemplum secutus ditissimi illius regis, qui a Syracusano poeta narratur ex urbe venisse

ἤμασι πολλοῖς
κτῆσιν ἐποψόμενος, ἥ οἱ νήριθμος ἐπ' ἀγρῶν·
ὥς που καὶ βασιλεῦσιν ἐείδεται ἐν φρέσιν ᾗσιν
αὐτοῖς κηδομένοισι σαώτερος ἔμμεναι οἶκος,

TV igitur in praedium TVVM contendens apud Ramshornium, quem quanti semper feceris inter omnes satis constat, deverteras; ego in eadem urbe carissimi fratris visundi causa, cujus suavem in urbe patria convictum iniquior quaedam sors mihi invidit, per aliquod tempus commorabar. Ramshornius lautam apparavit coenam; lautior etiam ea facta est eorum quos vocaverat nescio utrum dicam splendore an hilaritate. Una erat Matthiaeus, quem Graecis litteris, quibus ornamento erat, ereptum esse valde dolemus, aderat Grossmannus, qui Lipsiensem academiam nunc ornat, alii, quibus ab Altenburgensium civitate

doctarum hederae praemia frontium

tribuuntur. Jucundos tum memini nos inter

nos miscere sermones; prae aliis vero TV facetiis TVIS ac festivitate mirum in modum nos exhilarabas. Quae quidem TVA comitas, quam tum nobis ostendisti, quum etiamnunc ante oculos mihi obversetur, non aegre TE laturum esse facile mihi persuadeo, si, qualem TE ex illo tempore mihi finxerim, eundem jam mihi coram adesse putem ac Tecum, ut praesens cum praesente, sermonem habeam, minime illum ad eam severitatem compositum, quam TVA dignitas postulet, sed ad illam indulgentiam institutum, quam longus usus familiaribus lubenter concedit. Quam veniam ubi abs TE petivero, et, uti spero, sine ulla molestia TVA impetravero, tametsi id commodi me nactum esse video, ut liberrime quoquo versus in sermone meo decurrere mihi liceat, id tamen unum valde mihi verendum esse intelligo, ne, ubi quando TVARUM laudem commemoratio mihi facienda sit, quae TVA est modestia, circumcisa uti debeam oratione. Sed hanc scribendi legem quamvis invito mihi impositam esse sentiam, ita tamen servabo, ut nullo loco justam TIBI causam daturus sim offensionis.

TV igitur nuper una cum litteris illis, sacrorum quae hodie celebrantur praenuntiis,

misisti mihi orationem renuntiandis in panegyri victoribus certaminis litterarii anno superiore abs TE habitam. Pro laudabili more TVO non simpliciter victorias renuntiavisti, sed rem ita tractavisti, ut neque audientibus posset esse non jucunda, et legentibus sit eadem valde fructuosa. Satis lepide quidem TV finxisti binos illos Genios, agathodaemonem et cacodaemonem, TIBI ad latus stetisse et modo haec, modo illa ad aurem insusurravisse. Quae de agathodaemone dixisti, ea ut jam repetam concedas mihi; sed ipsa ponam verba TVA, quod vereor, ne quamlibet levi mutatione detraham nonnihil de sermonis elegantia. Scilicet priscis temporibus, haec TVA sunt verba, unum crediderunt cuique homini a diis concessum esse *Genium bonum*, qui ipsum inde a natalibus comitaretur, mala quaevis averteret, vitamque hilare et jucunde transigere doceret. Hunc colebant tamquam tutelare numen; huic litabant et sacra faciebant; hunc festo quoque et solemni die invocabant votis. His TV addis, aucto cum aliis gentibus commercio non esse quidem veterem opinionem abolitam, sed commixtam cum alia, minus illa laetabili. A populis enim, qui in orientis regionibus habitabant,

primum pythagoreos dualisticam illam, quae in scholis appellatur, de bono et malo principio doctrinam suscepisse eamque mox ita propagatam esse in Graecia, ut duplex cuilibet homini Genius, bonus alter, alter malus, vitae perpetuus comes tribueretur. Sed malum istum Genium procul hinc facessere jubeamus; ex oriente enim, quod TV ipse observavisti, in Graeciam pedem male intulit, nec ei nunc est locus. Quid enim, si TIBI dicam bonum illum Genium per totam vitam TVAM comitem et fuisse et adhuc esse, neque unquam a latere TVO discessisse? Vin' paulisper sermoni meo vacare? Quamquam ego profecto non sum is, qui orationem me habere putem ad persuadendum accommodatam, tamen id quod posui me TIBI facile negotio probaturum esse spero.

Sed age paulo altius rem repetamus. Si quid est, quod a deo ad hominum vitam permanare putabimus, id in praeclarissimorum quorumque hominum vita apparere, vel caecis, ut ajunt, satis clarum esse debet. Nosti TV praeclaram illam Ciceronis vocem: *Si qua civitas tulit singulares viros, eorum neminem nisi juvante deo talem fuisse credendum.* De cujus dicti veritate neque quisquam, opinor,

dubitabit, et omnes id ad TE pertinere clamabunt. Verum quomodo, ut Venusini poetae verbis utar, ille

Genius natale comes qui temperat astrum

TVAM inde a natalibus rexerit vitam, nec unquam TE destituerit, id quidem nunc per singula, si placet, persequamur. Qua in re bene factum esse intelligo, quod TVAM ipse nobis vitam adumbratam dedisti in annalibus academiae Jenensis, quae quidem adumbratio amplioris aliquando a TE conscribendae vitae mirum quoddam excitavit desiderium.

Ac primum quidem plurimum interesse patet, qua quisque in terra et quo tempore in lucem sit editus, deinde a quibus susceptus sit parentibus, denique quos habeat praeceptores ac magistros. Socratem constat sibi gratulatum esse, non quod natus esset, sed quod Graecus natus esset, quod Atheniensis; Philippum Macedoniae regem accipimus laetatum esse, non quod Alexandro auctus esset filio, sed quod is Aristotelis tempore genitus esset. TE Misenensem natum esse scimus patre litteris satis exculto. En agnosce bonum illum Genium, qui in ipsis vitae primordiis TIBI propitius fuerit. In media Saxonia hanc lucem adspexisti, id est in terra

omnium bonarum laudandarumque artium altrice. Patre usus es, qui puerili TE ipse doctrina institueret. Magnum hoc. Sed idem narras patrem in fingendo puerulo non lente festinasse; hoc majus. An censes patrem festinare potuisse, nisi rei bene gerendae a natura TV nactus esses adjumenta? Adeo verum est de omni re, quod de sola arte poetica praecipit Horatius:

> ego nec studium sine divite vena,
> nec rude quid possit video ingenium; alterius sic
> altera poscit opem res et conjurat amice.

Puer undecim annorum Portam es deductus. Non hic est locus in laudes scholae Portensis excurrendi; hoc et alii saepe diserto ore fecerunt et TV ipse gratum animum testificans plus semel fecisti. Itaque satis habeo dixisse TE et eximios ibi formandisque ingeniis perquam idoneos nactum esse magistros et eorum institutione probe esse usum. Illud ipse fateris magnum fuisse Dei beneficium; hoc totum TVVM est, licet pro modestia TVA praeceptorum id beneficio factum esse dicas.

Non imparatus, ut TV vis, hoc est, ut rem suo nomine appellemus, omnibus doctrinae copiis bene instructus Lipsiam venisti.

Etiam hoc Genio TVO TE debere concedes. Quod veteribus in proverbio fuit:

non cuivis homini contingit adire Corinthum,

apud nos de Lipsia, Corinthi aemula non solum abundantiae et divitiarum, sed etiam doctrinae atque artium, videtur locum habere. Lipsia enim ea Germaniae merito habetur urbs, in qua facile aliquis plurima doctrinae subsidia inveniat parata, quibus ne ingeniosissimus quidem potest carere. Nam

ut saepe summa ingenia in occulto latent,

quod recte dicit Plautus aliud quidem ille agens, ita, ut e tenebris et proferantur, dari debet occasio. Hac autem opportunitate Lipsiensi quam prudenter TV usus sis, pluribus exponere non attinet. Hoc unum dicam. Multos Lipsiae fautores et amicos TIBI conciliavisti, inter quos prae aliis grato animo Beckium nominas, qui ante hos ipsos quinquaginta annos magisterium Lipsiense TIBI impetraverit. Impetravisse TE per eum nobis narras; scilicet his honoribus TV dignus eras, sed Beckio intercedente ambitio TIBI reddita facilior est. Neque enim deerant, qui, aut quod de lege annali nimis essent solliciti, aut quod adolescentuli animum honoribus praematuris ad superbiam non esse extollendum

crederent, petitioni TVAE refragarentur. Sed frustra. TVA causa vicit. Quod vero inter festos dies referendum ac rite celebrandum esse censemus hunc diem, quo abhinc annos quinquaginta illam victoriam reportavisti, id jure nobis facere videmur. Summi enim illi abs TE impetrati honores novum TIBI aperuerunt gloriae honorisque campum. In quo quum strenue decurreres, fieri non potuit, quin triennio post docendi in eadem academia TIBI facta sit potestas, cui altero triennio vix exacto philosophiae professio extra ordinem accessit.

Haec vero conditio, quamvis plurimis TVI ordinis hominibus in ea aetate constitutis visa esset amplissima, non talis fuit, in qua TV diu acquiesceres. Genius TVVS TE, aucta in dies fama a quamplurimis expetitum, anno 1797 deduxit Jenam. Dixi Genium TVVM TE Jenam deduxisse. Id quo jure dixerim, licet TIBI omnium minime possit obscurum esse, in ea tamen ut in grata re longius juvat immorari.

Quid primum dicam de ipsius urbis commoditatibus? Est id oppidum, ut TVIS TE verbis alloquar, coeli temperie ac salubritate excellens, fecundum solo, situque adeo amoenum, ut tantum non celebratas illas Plinio

referat Campaniae virtutes. Nam fertiles ubivis campi, aprici colles, innoxii saltus, opaca nemora, munifica silvarum genera, benigni montium afflatus, mira frugum vitiumque fertilitas et praeter amnem Salam perennium fontium ubertas, totam regionem perfundens. Quae quidem omnia quum hominibus, qui animum ad studia referunt, gratissima esse debeant, quanto pluris ab iis aestimari debent maximae quae in eadem urbe offeruntur litterarum discendarum opportunitates? Latissimum jam mihi patere video campum, in quo exsultare posset oratio, si de Jenensis academiae laudibus acturus essem; sed quod sermo hic est, non oratio, summas tantummodo res attingam. Fuit igitur Vestra academia (iterum agnoscis TVVM stilum) omni tempore copiis locupletissima ac doctorum gloria abundans, ita ut nullam in dispari quidem fortuna laudum suarum aemulam pertimescere debuerit. Ut paucis complectar, quod Saxonicarum rerum haud indisertus auctor scribit ad academiam Jenensem constituendam Virtutem et Fortunam contendisse, hoc ita mihi verum videtur, ut has deas etiamnunc VOBIS salutares esse persuasum habeam. Profecto

Jena sospes
In mediis, velut alta rupes,
Stetit procellis; quam instabilis deae
Ludo insolenti cedere nesciam
Videre patres, nec minori
Postera conspicuam decore
Aetas videbit.

Verum Athenarum quae ad Salam sunt quantae omni tempore fuerint prosperitates secundaeque res, amplius nunc persequi nolo. Sed quid tutelares urbis deae cum TVO Genio consociatae TIBI tulerint, id, si per TE licet, una circumspiciamus. Ridiculus vero sim, si TVAM ego TIBI vitam Jenensem enarrare velim. Etenim quum TV potiores in TVA re habeas partes, me TIBI par est aures dare. TV igitur quum anno 1835 memoriam praeteriti temporis in academia Jenensi exacti oratione certaminibus civium litterariis renuntiandis habita renovares, de TVIS Ipsius rebus agens, «*longum est*, inquis, *ac memorabile quadraginta prope annorum* (ad quadragesimum annum nunc quatuor accesserunt) *spatium, quod in hac academia confeci, temporum varietatibus fortunaeque vicissitudinibus insignite distinctum. Multas ego prosperitates secundasque res vidi; inciderunt etiam tristia et adversa, quorum secura tamen recordatio non caret aliqua*

suavitate.» Quae TV ultimis verbis significavisti tristia, velut turbulenta quae VESTRAM Musarum sedem aliquamdiu infestaverunt tempora aut optimorum principum qui academiam in oculis ferebant obitus, ea academiae luctuosa accidisse equidem non nego. Fuerunt tamen haec communia TIBI cum caeteris aliis, ad quos academia pertinuit, et plus semel conjuncta habuerunt, si dicere fas est, commoda quaedam, quae ad TE prae aliis pervenisse nunc paene est quod glorieris. In memoriam redeas turbulentissimi illius temporis, quo Napoleo, ferro ignique omnia vastans, vestram academiam incendio se deleturum edixerat. Omnia tum pavoris et trepidationis plena; in TE ac paucis TVI similibus magna academiae spes posita. TV igitur cum duobus collegis legatus, vel potius praesentis periculi deprecator Vimariam missus. Mandatum, ut poetae verbis utar, periculosae aleae plenum. Facile TIBI credam, quum Napoleonem videres in palatio Vimariensi, magnifice magnaque stipatum caterva incedentem, horrorem quendam animum TVVM perstrinxisse. Sed res prospere cessit, ac TIBI summum illud academiae discrimen id commodi tulit, ut TV imperatorem illum, per omnia fortunam hominis egres-

sum, non solum oculis usurpaveris, sed etiam cum eo sermonem conferendi potestatem nactus sis. Sed de academiae rebus verbum non addam. Quae TIBI peculiaria fuerunt, ea omnia contendo faustissimi ominis habenda esse.

Ut a principibus exordiar munificentissimis academiae altoribus, quotquot per illud tempus VESTRIS rebus praefuerunt, eorum omnium singularem TV ac constantem expertus es favorem. Ac tres quidem ex iis propius TIBI suspicere licuit. Quales vero et quanti fuere illi principes! Quanta cum omnium admiratione nominatur Carolus Augustus, Vimariensium Magnus Dux, quem vere dixisti magnum fuisse jam tum, quum eum titulum nondum suscepisset. Is quo magis ipse artium studiis deditus erat, eo impensius academiam suam curavit et TE praecipuum ejus decus magno suo favore dignum censuit. Gothanorum autem duces Ernestus et Augustus haud minus benevoli rerum TVARUM fautores TIBI sunt venerandi, in quorum optimorum principum virtutibus praedicandis meas laudes TVIS miscere et licet et vero etiam jubet gratus animus. Venerabundi igitur uterque profiteamur Ernestum quidem fortunatissimi illius saeculi, quod Ernesto pio regnante

Gothanis peractum est, felicitatem et gloriam civitati suae reddidisse esse existimandum, Augustum vero omnium liberalium artium doctrinarumque ingeniosissimum cultorem Periclis aetatem suis retulisse videri. Ac tales quidem principes quod plurimorum in TE collatorum beneficiorum auctores et praesentes virtutum TVARVM spectatores habuisti, non in minima felicitatis TVAE parte ponendum esse mecum arbitrabere.

Quum magnorum sit principum se dignos habere amicos, quorum consiliis utantur in rebus publicis administrandis, tales obtigisse terris, quae principum illorum imperio subjectae fuerunt, non est, quod miremur. Ac vere et ex animo gratulamur nobis, qui Frankenbergios, Truetzschleros, Lindenavios habuerimus; Vimarienses Goethium et Voigtium gloriantur sibi a numine divino datos fuisse, quorum utriusque in Vimariensium terras, imprimis in academiam Jenensem tanta est meritorum magnitudo, ut verbis non satis exprimi posse videatur. Praeclarorum autem illorum hominum, quorum memoriam multa cum veneratione omnes prosequimur, insignem benevolentiam TIBI et mature adjunxisti et per omne tempus conservavisti.

Praeterea ad vitam jucunde transigendam plurimum refert, quos quis in munere obeundo habeat collegas. Quod quum in aliis vitae generibus locum habeat, tum maxime valet in academiarum doctoribus, inter quos quantopere invidia gliscere soleat, res est pervulgata. De TVIS collegis si quaerimus, tot fere habuisti et nunc quoque habes amicos, tot eruditionis TVAE admiratores, quot muneris socios. De iis, qui nunc vivunt, pudor prohibet dicere; sed juvat eorum recordatione frui, qui e vita discesserunt. Quum Jenenses TE suum consalutarent, unus fuit ex collegis (TE ipsum sponsorem habeo), qui TE sibi et collegam dari voluerat et consortem laborum adsciverat et successorem muneris destinabat. Schuetzius is fuit, cujus ipsum nomen gratissimo prosequeris animo. Nec injuria. Quamvis enim res longe aliter ceciderit atque Schuetzius putaverat, cum TVO et Schuetzi commodo, is tamen quam erga TE habuerit voluntatem satis ab ipso est declaratum. — Alii quam plurimi quo in TE fuerint animo, inter omnes constat. Prae aliis honoris causa nomino unum Starckium, cujus mortui egregia TVA exstat laudatio. Quo TV quam multum, quam familiariter usus es!

Quantum TIBI ipse vicissim tribuit cultum, quam honorifice de TE sensit! Ipse ego eum aliquando audivi, quum coram Carolina Amalia, Augusti ducis conjuge, cui Deus ut omnia fortunassit precamur, de TVIS laudibus diserto ore praedicaret. — Nec solos collegas habuisti TIBI devinctos. Redeat TIBI in memoriam jucundissimi illius temporis recordatio, quod Vossii patris, qui aliquamdiu Jenae degit, amicitia et familiaritate TIBI exhilaratum est; quae quidem conjunctionis necessitudo neque post Vossii a VOBIS discessum ullo tempore est intermissa.

Haec quidem quae adhuc attigimus ad jucunditatem vitae valent, sed ad ejus felicitatem id potissimum pertinet, ut in ipsius muneris ratione omnia prospere cedant. TUAM si respicimus, quid opus est verbis? Publica TVA vita in omnium conspectu est posita; neque ego is sum, qui secundum debitam rei dignitatem verbis eam exsequi possim. Sed quum ejus rei mentionem modo exagitaverim, quid impedit, quominus quaedam saltem commemoremus? Quamquam in hoc quoque loco per eam legem, quam supra mihi posui, angustiores mihi ipse circumdedi cancellos. Nam quum quae TIBI soli ac TVAE

doctrinae tribuenda sint, silentio praetermittere debeam, in eo fere mihi acquiescendum erit, ut significem, quem in munere obeundo secundarum rerum habueris eventum.

Quum TV in academiam Jenensem evocarere, non solum id agebatur, ut doctoris munere ornatus antiquitatis litterarum professione juvenibus discendi cupidis prodesses, sed majus aliquid spectabatur, quod universis litteris magnam allaturum esset utilitatem. Qui Jenae tum prodibant commentarii litterarii, magno illi cum intelligentium hominum plausu excepti, Schuetzium quidem habebant non solum auctorem et conditorem, sed etiam strenuum perfectorem. Verumtamen desiderabat Schuetzius, quum incommoda laborare coepisset valetudine, communem hominis operam, qui integra aetate floreret, neque eruditionis laude esset inferior. Ac bene factum quod TE laborum socium nactus est. Nam quem apud eruditos homines habebant ephemerides favorem, hunc TV, quamdiu Schuetzius rei bene gerendae intererat, retinuisti omnem, post ejusdem a VOBIS dicessum valde adauctum habuisti. Nec mirum. Etenim quae TVA est gnavitas, cum doctissimis quibusque ac claritate praestantissimis hominibus societatem TV

coire; quod TVVM est de litteris bene promerendi studium, ipse TV aliis exemplum praebere; ut brevi dicam, nihil intentatum relinquere, quo et ipsas litteras promoveres et famae TVAE consuleres. Fuit illud tempus, quo Goethius, Vimariae quondam decus, si quid novi in iis disciplinis, quarum studio maxime ducebatur, reperisse sibi et excogitavisse visus esset, quod cum aliis communicare vellet, id TIBI impertiret ac TVIS insereret commentariis; fuit illud tempus, quo Wolfius et Vossius, acerrimi illi in patria nostra veritatis propugnatores, arma sua cum TVIS consociarent; fuit, inquam, illud tempus, quo laudatissimus quisque ardentissime cuperet TVA sequi signa. Quid multa? TVVM nomen per Germaniam celebrari; TVI commentarii prae aliis legi, probari, extolli. Hanc TV auream TVAM jure dixisti in annalibus academiae Jenensis aetatem, cujus recordatione hodie merito fruaris. Quodsi bene multi posthac exstiterunt, qui ad TVVM exemplum novas ephemerides conderent TVASque laudes aemularentur, eam concertationem, quae est hujus aetatis ratio, in quovis vitae genere incredibilem in modum jam emersisse potest fugere neminem. TV vero, quod parta in ea quoque re gloria veluti re-

posito frueris honore, gratus agnosces Genium, qui ad Salanarum Musarum sedem viam TIBI monstraverit.

Sed in hoc Genius TVVS minime acquievit. Quod Schuetzio, TVO in professoria provincia decessori, in optatis fuit, nec tamen ut videret contigit, id TIBI concessum est et datum. Seminarium dico philologicum, quod Celsissimorum Principum munificentia liberaliter instructum TVIS auspiciis maxime floret. Quamvis enim jam diu, antequam illud conderetur, instaurata magno cum cordatorum hominum plausu Societate Latina, id propositum TIBI haberes, ut humanitatis studia quoquo modo promoveres, fuit id tamen perfugium magis his studiis paratum, quam certus portus conditus, quod unica in TE privato homine spes erat reposita. Sed longius prospiciendum erat. Gratulandum igitur et TIBI et litteris nostris, quas uterque pari fortasse amore, sed dispari successu amamus, quod publica auctoritate et publicis sumptibus seminarium illud institutum est; litteris separatim etiam gratulandum, quod praeesse seminario TV potissimum jussus es.

De alia jam muneris TVI parte meo, si per TE licet, modo TECVM agam. Quod academicorum libellorum scriptio TIBI demandata

est, id Genio TVO si non intercedente, at juvante tamen factum esse statuo. Leniter TE arridentem videre mihi videor, non quod in libris etiam conficiendis Genium deprehenderim; nam TE minime fugit in libris quoque regnare Genium, ac verum esse, quod Martialis ait:

> Nescio quid plus est quod donat saecula chartis:
> Victurus Genium debet habere liber,

sed quod rem TIBI plus semel molestam visam propitio TE debere numini credam. Noli vero putare, quae jam ex me audies, ludentem me dicere; bona fide dico ac TIBI quoque me persuasurum esse spero. Nimirum TV ad academicos libellos componendos natus factusque es; natum factumque programmatarium dicerem, quo nomine TE appellatum esse scio, nisi barbarae vocis usu castas aures TVAS offendere verecundarer; TV enim, qui in aliis rebus TE praebes facilem, difficilis es in verborum usu, immo hac in re severior ipso imperatore Augusto, qui, quod Suetonius tradit, barbaris hominibus haud facile civitatem donabat, TV ne verbis quidem. Sed illuc ut redeam, mirabuntur fortasse alii, quod, quum TE natum factumque ad programmata scribenda dixerim, rem scilicet a permultis jejunam habitam cum carminum compositione ausus sim comparare. At

meo jure id facere mihi videor. Ad carmina enim pangenda pariter atque ad programmata conscribenda nativam indolem requiri, nec solam sufficere doctrinam, quamquam ejus quoque magnae sunt partes, nemo in dubitationem vocare ausit, qui TVOS libellos academicos non dico diligenter perlegerit, sed adspexerit. Mitto sermonis elegantiam, quae Ciceronis non aetatem, sed ingenium refert; nolo commemorare sententiarum et gravitatem et abundantiam, quae tanta est, ut ex rerum cognitione efflorescere et redundare unusquisque sentiat orationem TVAM; nihil dico de reconditae doctrinae thesauro, ex quo ubicunque occasio TE invitat plurima soles depromere; taceo incredibilem, quam ubi narratoris munere fungeris vel in minutis rebus adhibes, diligentiam; quot sunt, quaeso, et quam diversae res, quos suo quamque et aptissimo modo tractas? Orationes habes. Si principum laudationem agis, eorum res gestas TVO praeconio nobilitatas videmus; si virorum de republica bene meritorum aut collegarum doctrinae laude conspicuorum memoriam posteritati commendas, commendas ita ut aliis exempli prodas imitationem; si victoriae in certaminibus reportatae TIBI renuntiandae sunt, hac opportunitate oblata uteris ita, ut

sponte currentes laudes, adhibeas calcaria segnibus; interdum etiam in oratione habenda affectum oratoris ostendis, qui ex rebus ipsis concipitur. Alios scribis libellos juvenibus maxime destinatos. Theologiae studium academicum ubi sex semestribus describis, in ea re versaris ita, ut TE in una theologia habitare omnes credant; jurisprudentiae studium ubi semestribus academicis recte accommodandum praecipis, jurisconsultum de sua arte dicentem audire nobis videmur; medicinae denique studii tempora ubi dispertiris, artem medicam profiteri TE putamus. Aliquando vides perverso saeculi impetu homines in transversum agi; lenitate verbi rei tristitiam mitigas; theologos cernis, alios qui, ut Senecae verbis utar, mutant subinde personam et contrariam ei sumunt, quam exuerunt; his contemptum affers; alios qui ex cupidine humani ingenii libentius obscura credendi (reprehendit id vitium jam Tacitus) fabulosa et ficta sectantur; horum TV mysteria confundis; philosophum conspicaris, qui non sine fastu quodam profitetur in magna illorum, qui se docentem audiverint, caterva dumtaxat unum esse repertum, qui verborum sensum intellexerit, sed ne hunc quidem, quae dixerit, recte et plane intellexisse; eum facetiis

perstringis. Homines nostrae aetatis intelligis scripta veterum, in quibus omnes inde a renatis litteris intelligentes viri summam ingenii humani vim et quasi mensuram constitisse arbitrati sunt, alto supercilio despicere et ex scholis ejici jubere; horum inscitiam arguis et judicii perversitatem ostendis; alios ante oculos habes, qui doctrinam non petunt ipsam, sed ad vilem usum accinguntur; eos acerbe castigas; denique animadvertis contemptores magistratuum ac regum eorumve, per quos publica administrantur; eos gravi adhortatione usus in viam reducis. Quid? quod aliquando ad macaronicam et culinariam poesin animi causa descendis; id quoque facis ita, ut et aliis voluptatem pares et ipse interiorum reconditarumque litterarum cognitionem ostendas. Ut verbo dicam, infinitum est singula recensere; nulla est enim res neque tam abstrusa et intricata, neque tam anceps et lubrica, quin academico oratori sit tangenda. Sed quid plura ego TIBI enarravi, qui in regionem mihi incognitam me delatum esse jure mihi objicias? Nimirum ut TE ipsum ad confessionem rei adducerem, quam, nisi quaerenti TIBI latebram omnem viam interclusissem, non tam facile TE concessurum esse putabam, TIBI fere soli concessum fuisse, ut

tot ac tantas difficultates eximia cum laude superares et ipsum TVVM Genium hunc TIBI aperuisse campum, in quo tam splendide decurreres. Dicam, quod sentio. Cadit in TE, quod Livium meministi de M. Porcio Catone dicere: *vivet vigebitque eloquentia TVA, sacrata scriptis omnis generis.*

Sed, age, alium praeter hunc TIBI patefactum esse videmus honoris et gloriae campum. Si qua est doctorum hominum in honoribus publicis felicitas, qui amplissimi videntur concessi esse docto homini, ad eos TE per Principes Celsissimos evectum esse videmus. Cum Principibus certaverunt exterae academiae, et doctorum hominum societates litterariae. A quibus quae in TE profecta sunt ornamenta, TVORVM quidem in litteras meritorum magnitudinem augere non potuerunt; sunt tamen publico documento, quo, quae de TVO ingenio et de TVIS virtutibus sit hominum existimatio, satis declaratur. Postremo, ut abunde TIBI sunt omnia, ita vel geminos TV habes doctoratus, alterum theologiae, philosophiae alterum; immo, quod in uno homine rarissime conjunctum, geminas TV habes professiones, alteram ordinariam Jenensem, Moscoviensem alteram honorariam. Qui quidem decreti TIBI honores TE fortasse mi-

nus movent, sed eos TIBI non deesse laetamur, siquidem alii sunt haud pauci numero, quos tam longum superbiae suae delectet spectaculum.

Dubita etiamnunc, si potes, puncto temporis Genium longius abs TE abscessisse. Vides hoc die litandum esse Genio. Curabis igitur Genium, quantumvis refragetur Peerlkampius, qui abs TE docendus fuit, quid sit *curare Genium.* Sed ausculta mihi. Auctor TIBI sum, ut in agro TVO Bendorfino vel si quis alius locus TIBI carus est juxta quercum, quae ut Jovis arbor est, ita *Eichstadio* quoque sacra habetur, aram ponas Genio. Praeter alia, quae gratus animus TE inscribere jubet, haec quoque pone verba:

QUI HANC ARAM
LAESERIT HABEAT
GENIUM IRATUM
POPULI ROMANI
ET NUMINA DIVORUM.

quam inscriptionem Genio Romae fecisse Romanorum civem TIBI constat.

Sacra facientibus etiam vota nuncupanda sunt. Cupio igitur TIBI, ut omnia bene evadant; et ita cupio, ut TVTE ipse cupis. Nominis fama ut augeatur, non precamur; accessioni enim nullus superesse videtur locus. Alia omnia igitur circumspiciamus, quae Genium hodie oremus.

Det TIBI crudam et viridem senectutem, nulla unquam re tristiore conturbatam. Fruaris praediis TVIS et diu fruaris; sed non ita quemadmodum TE aliquando in votis habuisse legimus:

Frui paratis ruris in otio
. . . . dones, ac, precor, integra
Cum mente, nec turpem senectam
Degere, nec cithara carentem.

Bona verbo quaeso. Quid enim? TEne unquam posse in animum inducere, ut Jenensem academiam destituas? Id vero prohibessit Deus! Fruaris, inquam, TVIS praediis et diu fruaris, sed non aliter atque Demea Terentianus, qui sic:

Ex meo propinquo rure hoc capio commodi,
Neque agri neque urbis odium me unquam percipit.
Ubi satias coepit fieri commuto locum.

Ac commutes locum, ut ipsa commutatione repuerascas, et animo subinde et corpore refectus redeas in sedem TVAM, Jenam,

Qua Phoebus olim perpetuum sibi
Templum locavit, providus artium,
Sedesque junxerunt relicto
Aonio Helicone Musae.

Faxit Deus, quum Starckio TVO careas, ut alium ne desideres medicum. Quod superest rogo, ut si forte vel unam bonam loquacitate mea TIBI perdiderim horam, id mihi ignoscas. Vale, vir illustrissime; et favere rebus nostris perge. Gothae, ineunte Februario.

PRAEFATIO.

Quum Doeringi opuscula me editurum esse significassem, quia et pietatis officium id flagitare videbatur, et doctos homines consilium meum probare intellexeram, faciendum putavi, ut et horum desiderio satis facerem et illi officio ne deessem. Accedebat, quod Doeringi scriptionibus editis apud plurimos haud exiguam me gratiam initurum esse sperabam. Doeringius enim, quod vel ii, qui iniquiore in eum usi sunt judicio, in dubitationem vocare ausi non sunt, unus nostra aetate fuit ex paucis illis, qui latini sermonis elegantiae haud infelici successu operam darent. Facile est igitur ad intelligendum tersum illud ac limatum dicendi genus, quo usus est Doeringius, eo valuisse, ut vel sua sponte plurimos ad legenda ejus scripta invitaret ac pelliceret. Sed praeterquam quod ipsa orationis forma haud parvam legentibus parat voluptatem, non minor iisdem affertur utilitas ex rerum ab illo tractatarum et varietate et gravitate. Argumenta enim aut petita sunt

ex infinito vetustissimarum fabularum thesauro, aut ex locuplete rerum antiquarum penu depromta, aut ita sunt omnino comparata, ut unumquemque, qui animum habeat ab humanitatis studiis non alienum, facile capiant teneantque. Carmina vero, quae composuit Doeringius, ita latinum ostendunt poetam, ut Musis ipsis plaudentibus versus fecisse videatur.

Sed laudibus Doeringi, quod nunc id minime desideratur, amplius immorari nolo. Id potius agam, ut, quae meae in edendis ejus scriptis fuerint partes, exponam.

Ante omnia id sedulo curavi, ut, quaecunque ille latine scripsisset, in unum collecta haberem. Sunt autem praeter veterum scriptorum editiones ab ipso curatas tria potissimum scriptionum genera, in quibus eum videmus elaboravisse. Primo loco ponendae sunt commentationes scholasticae, quarum conscribendarum opportunitatem muneris ratio dedit. Ex his commentationibus unam tantum ab hac opusculorum collectione segregavi, quam Doeringius, quum scholae Gubenensis rector esset, evulgavit anno 1783. Continentur ea *physiologumena ad sacros libros spectantia.* Hunc omittere libellum propterea consultius duxi, quod ejus argumentum alienum videbatur a caeteris commentationibus et quod in eo agitur de rebus, de quibus, qui hodie huic disciplinae operam navant, longe aliter judicant atque suo tempore fecit Doeringius; omnem autem reprehensionis ansam removere volui. — Praeter commentationes illas orationes quinque in gymnasio nostro a se habitas reliquit, quarum duae

versantur in laudibus optimorum ducum, quorum etiamnunc civium nostrorum animi piam gratamque memoriam conservant; duae commendandae praestantissimorum Doeringi collegarum dicatae sunt memoriae; quinta tertiis gymnasii Gothani saecularibus rite celebrandis est habita. Has igitur omnes, quod et ob dictionis suavitatem valde probantur, et ab argumenti gravitate admodum commendantur, dignas habui, quas cum lectoribus communicarem. Denique carmina, quotquot reperire potui, foras dedi, lectoribus id non ingratum fore arbitratus, et quod ipsorum carminum magna praestantia est, et quod versuum faciendorum facultas rarior in dies fieri coepit.

His opibus collectis quam ego navaverim operam, paucis accipe. Carmina, ut quae emendatricem manum minime reciperent, intacta reliqui. Sed quae pedestri sermone conscripta sunt, ea non ita prorsus emittenda putavi, quomodo suo tempore in lucem prodierunt. Nam aliqua eorum pars edita in vulgus erat a Doeringio, quum aetatis ardore quodam abreptus dicendi genus sectaretur non pressum, sed redundans, non simplex, sed quaesitum. Non miraberis igitur in hac diligentia quaedam fuisse molesta, in summa ubertate quandam infuisse luxuriam, quae stilo depascenda erat. Quamobrem, quae Doeringio ipsi, si hodie editurus esset, displicitura fuisse persuasum habebam, aut resecui, aut, si levi emendatione res agi poterat, mutavi. Atque hoc mihi sumere non dubitavi, ut qui sic ex praeceptoris mente, cui ego, quamdiu viveret, meam in latinis litteris tractandis

rationem probaverim, egisse mihi viderer. Sed praeter hanc juvenilem licentiam quasdam in Doeringiano sermone maculas deprehendi non ignoro, leviores quidem, sed maculas tamen. Et has quidem, quas humana parum cavit natura, paulo acrius fortasse quam par erat a doctis quibusdam hominibus exagitatas fuisse, quis est, qui nesciat? Sed hodie gravius ego verbum non ponam; est ab hoc loco, qui Doeringi mei memoriae sacratus est, plane alienum. Sciant igitur, qui iniquius judicaverunt dé Doeringi dicendi genere, quotiescunque de acerbiore quadam reprehensione certior factus fuerat ab amicis, in memoriam eum sibi revocasse Horatium suum, qui, ubi plura niterent, se non offendi professus est. Ego vero, qui his opusculis edendis non solum doctis hominibus, qui Doeringi libellos ob eorum argumenta sibi expeterent, prospicere voluerim, sed qui juvenum etiam ad latine scribendi facultatem adspirantium rationibus consulere studuerim, eam rationem mihi sequendam esse statui, ut in horum usum atque commodum, quae a Doeringio minus latine dicta essent, notarem et eorum loco substituerem meliora; idque in annotationibus subjectis ad eorum exemplum feci, qui simili consilio Mureti, Ruhnkeni, aliorum scripta ediderunt. Nusquam vero praeceptorem meum, si quid humani passus est, acerbe castigavi; multo minus reprehendendi occasionem arripui; sed sicubi erravisse videbatur, errorem ingenue et candide aperui; sicubi melius aut aptius aliquid poni posse arbitrabar, sine ulla dubitatione id indicavi aut monui.

Nec Doeringium, si modo haec ipsius oculis subjici possent, rationem, quam ego ingressus sum, improbaturum esse certo scio; imo persuasum mihi est eum, quo impensius juvenibus litterarum studiosis prodesse cupiverit, tanto majorem inde voluptatem esse capturum, quum videret, libros suos hac nova, quam induerunt, forma denuo utilitatem aliquam parare posse juvenibus.

Doeringianis alia quaedam accesserunt. Quum anno 1824 tertia gymnasii nostri saecularia celebraremus, *Fridericus Jacobsius*, ut voluntatis suae in Doeringium aliquod exstaret monumentum et ut suum in scholam nostram, cujus insigne aliquando ipse decus fuerat, amorem palam declararet, epistolam misit ad Doeringium, senem felicissimum. Haec epistola, quum scripta sit elegantissime ac multa contineat, quae ad Doeringi vitam moresque accuratius cognoscendos pertinere videantur, si cum lectoribus communicaretur, id iis gratissimum fore non tam sperabam, quam confidebam. Petii igitur a Jacobsio, ut ejus denuo repetendae mihi daret veniam. Is autem, ut est propenso ad aliorum consilia juvanda animo, non solum petenti statim id concessit, sed etiam retractatis iis, quae olim scripserat, emendatiorem ac pleniorem illam epistolam mihi tradidit.

Quod meam orationem in Doeringium habitam addidi, noli putare hoc idcirco factum esse, quod mea mihi tantopere placerent. Sed suadebant amici, qui illam orationem pluribus, quam adhuc factum est, innotescere volebant; suadebat etiam argumentum, quod

consimile est ejus, quod Jacobsius in epistola sua tractavit.

Haec dicenda habui de hujus libri ratione. Restat, ut vos, qui Doeringium, quamdiu inter vivos erat, studio quodam et amore prosecuti estis, rogem, ut hoc novissimum ejus munus benevolo accipiatis animo; vos autem, qui minus favetis Doeringio, linguis saltem nunc faveatis, atque hoc pietatis meae in dilectum praeceptorem monumentum tacito, uti decet, gressu praetereuntes sanctum habeatis. Gothae, die 22. Septembr. 1838.

E. F. Wuestemann.

INDEX
eorum quae hoc libro continentur.

Doeringi scripta.

I. Commentationes scholasticae.

II. Orationes.

III. Carmina.

Friderici Jacobsi

Ern. Frid. Wuestemanni

I.

Prolusiones scholasticae.

I.

De antiquorum scriptorum in scholis tractandorum ratione.

Prolusio, qua ad audiendam orationem muneris rectoris in schola Gubenensi adeundi causa a. d. 13 Dec. 1782 in auditorio majori habendam invitat Doering.

Prodiit Lipsiae litteris Sommeri.

Cum nuper gravis prudentissimorum virorum sapientia praeesse me jusserit scholae, quae et ipsorum cura et magistrorum diligentia floruit adhuc florebitque, deo favente, semper, non videbatur aut ab hujus muneris ratione aut ab animi mei sensu aut a patronorum judicio alienum, auspicantem munus gravissimum declarare ex parte, quomodo illud gesturus sim, ut, quid sperandum sit a meis studiis et laboribus, intelligere omnes facile possint. Quae quidem ipsa res cum latissime pateat atque ita sit comparata, ut, quoniam variae sunt scholastici muneris et multiplices partes, non possint brevi libello omnes pertractari, selegi aliquam illarum, quae in disputatione doctissimorum principumque omni laude virorum versata est. Etenim sapientissimi majores recte et prudenter voluerunt in ludis minoribus scriptores veteres utriusque linguae explicari, ut, quibus omnes nostrae litterae originem suam et lucem debent, mature cognoscerentur a pueris et adolescentibus, illorumque copiis et opibus horum mentes atque animi, tamquam thesauris quibusdam, ditarentur. Et profecto,

quae tandem est doctrinae pars, qui eruditionis locus, quem veteres Graeci et Romani praetermiserint, nec vel attigerint, vel tractarint, vel illustrarint, vel inventis suis auxerint? Nec erit nostra aetate quisquam ita ab omni humanitate alienus, ut illa antiquae sapientiae clarissima monumenta neget vehementer admiranda esse diligenterque legenda. Sed cum ipsa veterum scriptorum lectio tantam habeat varietatem, quanta est et ingeniorum et aetatum et studiorum diversitas, nemo, opinor, mirabitur, disceptatum esse a summis viris gravissime, *qui scriptores, et qua ratione sint in scholis minoribus legendi?* Quam quidem quaestionem ita tractare constitui, ut non omnia, quae aut praecepta aut disputata in hoc genere sunt, uberius examinarem, sed ut, aliorum monitis usus, ipse meam sententiam modeste proponerem. Tantum enim abfuit, ut deterrere me difficultas rei potuerit, ut gravitas ejus atque utilitas animum scribenti addiderit. Quantumvis enim lectio veterum et interpretatio valeat ad formanda puerorum ingenia et animos, tamen, ubi vel leviter hac in re a recta ratione aberraveris, ita omnis ejus utilitas perit, ut damnum inde oriatur, quod nullo unquam tempore, labore nullo, sarciri queat.

Illud autem, unde tamquam a fonte, omnis disputatio nostra repeti debet, est ipsum, quo leguntur auctores classici [1]) et legi ab omnibus debent, consilium, in quo ex-

---

[1]) Utrumque non satis latine dici hodie constat. Scilicet *auctor* non de quocunque scriptore dicitur (quamvis *Schützius* in Ind. Lat. Cic. id contendat), sed de eo qui tamquam testis laudatur. Hinc imprimis *auctor* vocatur scriptor historicus rem quandam narrans, vel is cujus magna in aliqua re est gravitas et auctoritas. Atque ita sunt capiendi loci quos *Schütz.* nro. 8. attulit. Cf. *Matth.* Entw. der Theorie des lat. Stils p. 7. *Herzog.* ad Caes. B. G. V. 29. *Kraft* ad Muret. p. 330. *Hand.* Theor. des lat. Stils p. 89. *Classicos* autem scriptores nemo dixit praeter *Gell.* Noctt. Att. XIX. 8.

plicando, si ad adolescentum aetatem refertur, spectanda imprimis est indoles et natura eorum, qui illis utuntur. Jam primum omnium certum est, scripta veterum non ideo unice legi, ut Graecae Latinaeque linguae peritia inde hauriatur, quamvis et haec inde ducenda sit, sed ut res, quas complectuntur libri illi, cognoscamus. Rerum autem signa esse verba cum nemo sit qui ignoret, quivis etiam fatebitur, illas sine his intelligi non posse, atque adeo [2]) operam dandam esse, ut verba scriptorum ipsa diligenter explicentur compareturque iis legendis accurata utriusque linguae scientia. Quam qui contemnunt ridentque grammaticam illam observationem et explicationem, horum ineptae voces tegere videntur auctorum inscitiam. Ex iis vero, quae antea dicta sunt, colligi etiam facile potest, et quod pretium sit illi uberiori verborum cum singulorum tum junctorum [3]) illustrationi statuendum, et quam neces-

Nec convenit id adjectivum in latinos scriptores, quorum nulla unquam exstitit censura; rectius Graecos illos dixeris *classicos,* qui ab Alexandrinorum grammaticis in justam classem recepti tamquam lex et norma bene scribendi valebant. Vid. *Ruhnk.* hist. crit. Oratt. Graec. in edit. *Rutilii* p. XCIV seqq. *Wyttenb.* in vita Ruhnken p. 145. *Wolf.* in Museum der Alterthums-Wissensch. Tom. 1. p. 28.

[2]) Noli has particulas ita ponere. *Atque adeo* nihil aliud significat quam *und sogar.* Vid. *Hand* Tursell. Tom. I. p. 503. Hoc loco scribas: *et proinde.*

[3]) Scribendum *et singulorum et junctorum.* Mirus fuit, sed inveteratus vel doctissimorum hominum error in his particulis usurpandis. Scilicet opinabantur *cum — tum,* et *tum — tum* nullo paene discrimine pro disjunctivis particulis *et — et* poni posse. Sed primus dispulit hunc errorem *Stuerenburg* ad Cic. orat. pro Arch. poet. p. 164 seqq., cujus disputationis summam hic repetamus. Particulae *tum — tum* referuntur ad tempus, nec usquam significant *sowohl — als auch,* sed respondent nostris *bald — bald,* nec multum differunt a particulis *modo — modo*, vel *nunc — nunc.* Particulae autem *cum — tum* simul temporis quandam consequutionem indi-

saria ea sit omnibus, qui veterum scripta tractent. Cum vero earum, quae istis scriptis continentur, rerum tanta sit ubertas varietasque, quanta in hac plurium diversi generis scriptorum copia esse et cogitari potest, intelligitur, existere hinc et nasci plures consilii illius in veterum lectione spectandi quasi partes et modos, hoc est, alios scriptores antiquos aliis legi posse et debere de causis. Nam illud quidem plerique habent et suppeditant, ut, in iis perlegendis temporum ordinem secuti, ingenii humani historiam, artium et litterarum incrementa, variorum denique populorum mores optime inde cognoscere possimus, quo nihil potest esse dulcius, nihil hominibus omnis aetatis et loci utilius. Alii autem veterum composuerunt carmina, digna, quorum praestantiam grata posteritas semper veneretur. In his concedunt omnes spectandum imprimis esse ingenium poëtae et modum, quo rem, quam cecinerit, tractaverit, et imagines atque ornamenta, quibus orationem velut luminibus distinxerit; quae quidem ipsa omnis poetarum veterum rationis contemplatio magnam habuit habebitque, quamdiu elegantioribus litteris suus constabit honor, vim ad excitanda et formanda et acuenda iuvenum ingenia. Alii aut praecepta artis dicendi aut exempla reliquerunt, quae, quamvis non vernacula lingua [4]) scripta sint, tamen, cum

---

cant, ut vel post unam rem factam vel cum una re facta altera facta esse dicatur. Jam vero quum ad temporis notionem etiam caussalis quidam nexus accedere soleat, hujus autem ea sit ratio, ut a generali notione ad specialem descendat, haud raro factum est, ut priore membro per *cum* expresso res generalis vel res minus gravis contineatur, sed necessario id fieri non debet. Id vero teneas temporis notionem in his particulis primariam esse, quae ubi abest neutiquam poni possunt. Adde *Kühner*. ad Cic. Tuscul. V. 25. 72. V. 39. 113.

4) *Vernaculam linguam* nullus veterum quantum equidem scio dixit, nec si usquam factum hac sententia dicere potuit; vel *patriam linguam* dicere noluerunt. Dicas *patrium sermonem*.

eloquentiae eadem semper et apud omnes populos fuerit natura, eo nunc quoque valere posse, ut vim elocutionis inde comparare nobis liceat, nemo negabit. Quid enim? qui Demosthenis et Ciceronis et Quintiliani libros diligenter et assidue legerit, eum non putabimus contrahere sibi facile posse magnam perspicue et graviter et copiose dicendi facultatem? Historicorum autem veterum libros esse fontes, unde omnis antiquae historiae cognitio hauriri a nobis debeat, non est, cur doceam. Et excellentia quidem eorum et in narrandis iis, quae gesta sunt, et indagandis eorum causis, et in comparandis magnis viris tanta est, ut culti propterea ab historicis recentioribus et lectitati magno cum fructu fuerint. Denique alii libris suis varias artes ac disciplinas, ut artem civitatis regendae, historiam naturalem [5]), imprimisque philosophiam complexi et tam clare ornateque persecuti sunt, ut ab omnibus legi mereantur, qui vel historiam illarum artium et litterarum certam discere, vel cognoscere etiam praecepta illarum antiquiora velint. Hic vero videbar mihi quosdam audire temeritatis accusantes meam opinionem, qui, cum non ignorarem, varia in multis disciplinis nostrorum hominum sollertia esse inventa et excogitata, quae Graecis Latinisque aut plane non fuerint aut non recte cognita, tamen ausus essem contendere, veteres scriptores etiam eo animo, ut doctrinarum quarundam et artium capita inde repetantur, cognoscendos esse. Et fuit, cum non sine magna animorum exacerbatione quaereretur, utrum veteres scriptores recentioribus essent postponendi, an iis anteponi deberent. Nimirum constat

[5]) Inverso ordine dicendum *naturalem historiam*, quod nuper doctus quidam homo recte notavit. Nec scripsit Plinius quam vulgo nuncupare solent *historiam naturalem*, sed *naturalem historiam*. Cf. *Hand* Lat. Stil. p. 312. Multis haec atque similia fortasse leviora videbuntur esse, sed minime sunt contemnenda iis qui ad aliquam latini sermonis facultatem adspirare cupiunt.

inter omnes, esse quaedam in veterum libris perperam et ita tradita, ut probari nunc nullo modo possint; immo certum est, esse multa patrum nostraque memoria ingeniosius inventa, subtilius exposita, planius expressa; sed num propterea eorum libri, qui viam posteris ad faciliorem majoremque eruditionem et monstraverunt et munierunt, abjiciendi, et, qui primi nobis litterarum omnium auctores extiterunt, horum scripta negligenda sunt? immo cupide arripienda, ducibus [6]) summis in unoquoque litterarum genere viris, qui, quantum etiam hac in re disci a veteribus possit, grati agnoverunt. Quid de illis dicam, qui officiorum rationem ita explicuerunt, ut nec sanctitate nec veritate, nec ubertate praeceptorum cederent ulli recentiorum philosophiae magistrorum? Carmina autem et oratiunculas nostrorum hominum non nisi is anteponet, qui, cum exempla elegantis picturae admiretur, exemplar negligendum esse censet.

Hactenus de universo consilio disputavi, quo veterum scriptorum libri legi possint et vero debeant, et quod omnibus pro sua cuique facultate spectandum sit, qui fructus inde capere velint ubertate [7]) largissimos maximosque utilitate. Sed cum magna sit et aetatis et ingeniorum et studiorum et meditationis et temporum et vitae varietas, hujus quoque in consiliis et modis lectionis veterum rationem habendam esse quis neget? Etenim non omnes veterum libri, nec singula eorum capita apta sunt cuivis aetati et tempori, sed alia puerilem animum formant et tenent, alia viris et senibus intelligi et placere possunt,

---

[6]) Caveant sibi tirones ab hoc ablativorum absolutorum usu. Vid. *Hand* Lehrb. des latein. Stils p. 185. Nec latinum est quod hodie tritissimum *Grammatica latina auctore Cajo vel Sempronio*. Cf. *Grysar*. Theor. des lat. Stils p. 222.

[7]) Hic ablativi usus non aureae latinitatis videtur esse. Praestat pro eo ponere *ad utilitatem uberrimos aut ad voluptatem jucundissimos*.

alia leniunt dolorem adversae fortunae, alia secundae gaudia augent, et tanta est hujus diversitatis vis, ut, quae olim indignabundi abjecerimus, ea nunc avidi arripiamus. Sunt etiam scriptores, quorum cum summa venustate conjuncta improbitas nocere possit primae aetati, sequentibus non item; reperiuntur alii, quorum doctrinae gravitas locupletare mentem, multae sapientiae copiis jam refertam, possit, sed fallat eos, qui ad cognoscendam eam nihil litterarum ipsi attulerint. Quod vero monui esse legendis antiquis auctoribus linguarum quoque cognitionem aut comparandam aut augendam, id quivis videbit non cadere in illos, qui accurata gaudeant antiquitatis omnis scientia, et judicabit, eos, quorum mala sedulitas copiosas observatiunculas [8]) de singulis voculis effundat apud illos, qui pridem earum vim intellexerint, aeque ineptos esse atque hos, quorum pestifera [9]) temeritas, neglecta verborum, quae tamen ii, qui audiunt, non intelligunt, explicatione, super rebus, si diis placet, subtiliter philosophetur [10]).

Quae quidem omnia animo proponere atque contemplari secum semper oportet magistrum scholae prudentem, atque eum, qui pueris et adolescentibus prodesse veterum scriptorum lectionem velit. Is enim vel non monitus a nobis sua sponte intelliget, esse sibi hoc in genere ea aut observanda diligenter aut studiose vitanda, quae nunc,

---

8) Civitate latina caret haec vox. Istorum hominum quos D. notare vult sunt *declamationes*. *Notas* hac sententia perperam dici hodie in vulgus notum.

9) Vide an D. nimio quodam fervore abreptus paulo acerbiore vocabulo sit usus. Catilinam aut Antonium *pestiferos* homines jure nuncupavit Cicero, nos istis hominibus *temerariam levitatem* tribuamus.

10) Non est quod moneam nostris quoque diebus reperiri homines in quos haec D. verba cadant. Utinam tandem desinant esse qui hac ratione antiquas litteras juvari posse credant.

ex superioris disputationis fonte derivata, ut officio nostro satisfaciamus, proponere animus est [11]).

Si certum est, quod suus quemque usus docet, diversis aetatibus et vitae generibus diversa convenire veterum scripta, non quivis scriptores sunt scholae tradendi, sed seligendi nonnulli, alii futurae relinquendi vitae. Qua in re partim consideranda est librorum ipsa natura, ne difficultas rerum in iis expositarum superet lectorum vires, partim spectandum, an illi pueriles animos allicere et capere et captos tenere possint, partim videndum est, ne insint, quae virtutis honestati morumque elegantiae repugnent. Nam, ut ab hoc ordiar, quod ultimo loco posui, magister scholae non tantum doctoris linguarum antiquarum personam gerit, sed is est, qui homines bonos, qui probos cives, qui Christianos hoc nomine dignos educare debeat et formare. Quod quidem suum officium, gravissimum sane et maximum, cum lectione librorum veterum ipsa et adjuvari et impediri posse videat, cavebit, ne scripta explicet aut locos scriptorum qui possint in animis legentium relinquere semina vitiorum atque flagitiorum. Etenim, ut ex universo scriptorum genere quosdam nominem, comicorum veterum nonnullorum lascivia atque obscoenitas, quamvis verborum venustate condita, non explicari potest adolescentibus sine magno pudoris periculo; et satirae veterum, quamvis maxime abundantes lepore ac facetiis, possunt hanc vim habere, ut, quae jam satis est ad risum et vituperationem aliorum proclivis juventus, eo magis praeceps illuc feratur. Commendanda vero etiam hac de causa est, praeter alios libros, lectio tragicorum graecorum veterum imprimisque Euripidis, qui fabulas suas multis et ad vitam prudenter sancteque instituendam utilissimis praeceptis ex-

[11]) *animus est* sequente infinitivo poetarum videtur proprium esse, velut *Virgil.* Aen. IV. 639. Pedestris sermonis auctores pro eo habent *est mihi in animo*. *habeo in animo*.

ornavit, quorum summa est et simplicitas et gravitas, mores autem personarum ita comparati, ut, quin sensus honesti rectique [12]) in animis excitaturi sint, dubitari nullo modo possit [13]). Quod vero ad reliqua duo attinet, quae in eligendis auctorum veterum libris spectanda esse monui, in promtu est, ceteris et faciliores et suaviores etiam esse vel historicorum libros, vel poetarum carmina. Nam oratorum quidem elegantia capi tantum ab iis recte potest, qui, quum ingenii boni dotibus gaudeant, jam aliquam judicandi facultatem [14]) consecuti sint; et philosophorum ea est subtilitas, ut legentis divinam facilitatem in percipiendo, summam diligentiam in attendendo, acumen denique maximum in judicando postulare videantur, nec habeant, quo juveniles sensus delinire et suaviter afficere possint. Nam etsi etiam [15]) veterum philosophorum quidam dicendi genere ita populari et suavi usi reperiuntur, ut possint vel adolescentibus recte tradi, quo pertinent imprimis libri Ciceronis tamen plerorumque [16]) oratio tantum recedit a communi sermone, quantum a vulgari intelligentia remota est rerum quas tractant difficultas. Fuerunt nuper, qui vellent libros philosophorum in scholis ideo legi et explicari, ut praecepta ipsa philosophiae hoc modo proponi

---

[12]) Recentiores latinitatis auctores non ignoro mirum in modum sibi placere in frequenti hujus locutionis usu; non minus frequentant *pulchri ac decori sensum*. Neutrum probatum veterum consuetudine. *Verae humanitatis sensus* huic loco aptissimum.

[13]) Cf. Comm. *Heynii* de morum vi ad sensum pulchritudinis 1763.

[14]) Equidem scripserim *aliquam judicii facultatem*.

[15]) Observent tirones recte hoc loco positum esse *etsi etiam*, quum *etiam* ad adject. *veterum* referri debeat. Cf. *Hand*. Tursell. Vol. II. p. 603.

[16]) Debebat *plurimorum* dicere. Cf. *Bremi* ad Cornel. Nep. praef. 1. *Herzog*. ad Caes. bell. Gall. IV. 5. *Doederl*. Synon. VI. p. 273, qui recte observat *plerosque* esse elativum, *plurimos* superlativum.

possint. Nec ego is sum, qui doctissimorum hominum sententiam aut improbare velim aut impugnare. Sed illud tamen quivis aequus rerum arbiter facile largietur, hanc conjunctionem institutionum philosophicarum cum lectione veterum vix locum habere nisi apud eos, qui imbuti sint et verborum et rerum scientia haud levi, quales in scholis minoribus non multi invenientur, et magnam etiam habere difficultatem propter ingeniorum puerilium diversitatem. Nam hanc quoque explorare et spectare in omni disciplina scholastica, imprimis vero in lectione veterum recte instituenda, oportet scholarum doctores. Qui ipsi cum probe norint, nihil magis curandum esse, quam ut adolescentes mature discant subtiliter cogitare, cogitata autem recte et ordine exprimere, eo etiam dirigent omnem veterum lectionem et interpretationem.

Sed quum ii etiam, qui primis ludorum minorum ordinibus intersunt, nondum ita omnes antiquitatis campos [17]) peragraverint, ut nihil sit ad interiorem linguarum ipsarum cognitionem pertinens, quod non ceperint et teneant, apparet, magistrum ita iis scriptores veteres interpretari debere, ut vocabulorum et linguae ipsius naturam et indolem diligenter explicet. Non enim nunc de prima linguarum institutione disseram, a qua non sejungendam esse grammatices sterilitatem rectissime multi animadverterunt, quoniam illa a mei muneris ratione longissime abest; sed hoc monebo, quod patet omnibus, quemvis magistrum scholae, si recte versari in veterum auctorum interpretatione velit, id efficere debere, ut justam consequantur discipuli et idoneam linguarum scientiam. Ad quam comparandam cum non brevi tempore opus sit et diligenti observatione, facile intelligitur, quam vim habere possit nimia et desulto-

[17]) Nescio quid alii statuant, mihi displicent *antiquitatis campi.* Simplicius est *omnes antiquitatis locos* l. *partes perlustraverint.*

ria [18]) quasi legendi et explicandi veteres scriptores festinatio. Scilicet non possum hac in re, multum quaesita ac disputata [19]), eorum accedere sententiae, qui, quum multos scriptores ab adolescentibus cognosci velint, cursoriam quam appellant unice commendant lectionem, non cogitantes secum, melius esse paucos accurate cognosci, quam plures leviter attingi et delibari. Sunt enim multa diligentius observanda, et copiosius adnotanda [20]), verborum notiones recte explicandae et omnes loquendi formulae [21]) perspicue et accurate interpretandae, ut linguae cujusque indole perspecta mens scriptoris recte capiatur. Quae quidem diligentior et curiosior explicandi ratio, a qua tamen nimiam multorum ubertatem sejungo (si modo haec ubertas ac non garrulitas potius dicenda est), etiam hanc vim habet, ut juvenes cognoscant ipsi facile justae interpretationis leges, quarum cognitio cum alibi tum in omni vita fructuosa est. Interpretatio autem ipsa verborum non potest institui, nisi, quae a scriptore profecta sint, certo constiterit. Quod cum adhibita critices ope efficiatur, nec hanc negligere potest scholae magister in lectione veterum auctorum. Est autem duplex illius artis genus; alterum, quod gravius dixerim, versatur in judicio de libris ipsis, utrum genuini

18) Abstineas hujus adjectivi usu hac saltem sententia. Haec *festinatio* quam jure reprehendit D. est *improvida ac caeca*.

19) Tironum causa observare liceat non recte dici *hac re disputata*, sed quod praecedit *quaesita* illud subjungi potest. Similia multa apud Ciceronem invenies.

20) Imo *enodandá*. Neque *notae* sic dicuntur (vid. *Facciolati* Oratt. p. 427. *Schaefer*. ad Eurip. Porsoni p. 73), neque *adnotandi* verbum in eam significationem adhibere licet.

21) Esset hic, si libelli fines paterentur, commodissimus locus de omni ratione illustrandi verba scriptorum disserendi, in qua saepe ac multum peccatum vidi. Unum nunc monebo, optime agi, si ex scriptore ipso ejus loquendi usus et verba singula illustrentur, non autem comparentur multi variorum scriptorum loci. *Doer.*

sint nec ne, quod quoniam sine magna multarum et variarum rerum scientia institui nequit, vix convenire juvenili aetati videtur; alterum quaerit de singulis quibusdam verbis, estque cum ad augendas doctrinae antiquae copias, tum ad acuendum judicium utilissimum.

Cum vero paullo ante docuerim, esse auctores utriusque linguae imprimis ita explicandos, ut hujus [22]) natura et indoles pateat omnibus, quivis fatebitur, esse ex infinita illa scriptorum veterum multitudine eos potissimum eligendos, qui dicendi genere usi sint purissimo atque elegantissimo. Sic demum idonea linguae ipsius, qua scripserunt [23]), existet cognitio. Optimorum autem illorum scriptorum non particulae librorum, sed integri libri legendi sunt iis, qui jam ad maturiorem pervenerint aetatem. Nam ineunti aetati aptiora esse ista variorum librorum fragmenta [24]), nemo erit, qui, si cognoverit puerorum ingenia, varietatis cupidissima, neget [25]). Sed ut omnes eum ridebunt, qui, cum pulchritudinem pictae tabulae penitus perspicere velit,

[22]) Cum praecesserit *utriusque linguae*, rectius utique erit *harum natura*.

[23]) Hoc loquendi genus non defenderim. *Lingua loqui* probum est, non item *lingua scribere*. Minime vero comparari potest *epistolam graecis litteris conscribere*. In promptu est *qua usi sunt*.

[24]) Non haec sunt *fragmenta*, sed *excerpta*. Nec scriptoris cujusdam, cujus operum partes nobis supersunt, *fragmenta* dici possunt, sed *reliquiae*. Recte igitur *Matthiaeus* librum suum, quo quae ex Alcaei carminibus aetatem tulerunt continentur, *Alcaei reliquias* inscripsit. Sed dandum hoc videtur usui, ut singulos locos aut avulsa ex orationis perpetuitate vocabula *fragmenta* dicamus.

[25]) Non igitur chrestomathiarum utilitatem plane tollo, imprimis apud puerulos, quibus convenire optime videntur tales libri, sed non diffiteri possum, multas illarum chrestomathiarum, quarum mole obruti gemimus, videri inutiles, idque eo magis, quo plures easque breviores auctorum particulas contineant. *Doer.*

partem ejus intueatur, sic nemo, credo, probare poterit eorum sententiam, qui, ut ingenium scriptoris et venustas intelligatur, aliquam eius particulam sufficere putent.

Jam, cum brevissime pro mei et temporis et libelli ratione ostenderim, qui potissimum scriptores sint in scholis legendi, ii scilicet, quorum nec difficultas superet vires puerilis ingenii, nec improbitas castitati animi juvenilis obsit, quique optime suo in genere et ita scripserint, ut delectare etiam juniorum lectorum mentes possint, et quid in iis explicandis spectandum et efficiendum sit, ut justa utriusque linguae scientia comparetur, restat, ut quaeratur, quomodo versandum sit in illustrandis et enarrandis rebus, quas illi scriptores libris suis complexi sunt, quae quidem ipsa quaestio exercuit doctissimorum hominum ingenia. Et primum quidem cum nemo, cui liberalis sit et ingenuus animus, rudis et imperitus antiquae historiae esse possit, ejus autem scientia docto homini optime derivetur ex fontibus antiquitatis limpidissimis, ad hos ducendi sunt a magistris discipuli, et in explicandis optimis antiquorum historicorum libris, ut Xenophontis et Polybii et Caesaris et Livii, partim enarranda est ipsa historia efficiendumque, ut ejus cognitio influat seseque insinuet [26]) in adolescentium animos, partim virtutes historicorum in enarrando, comparando, judicando, moresque hominum describendo monstrandae sunt, ut, quam grave sit historici munus et quam vim habeat, discant mature juvenes. Neque vero cuiquam videbitur magister scholae omnes, quos dixi, historicorum libros explicare aut posse aut debere, quod quidem et per temporis brevitatem et per rationem studiorum scholasticorum fieri nequit, sed curabit, ut, cum aliquam scriptorum

[26]) Fuerunt qui hanc loquendi formulam *(se insinuare)* non Ciceronianam putarent, velut *Orelli* ad Tusc. 425. Sed recte tutatus est *Zumpt* ad Oratt. Verr. Tom. I. p. 579. ac nuperrime *Klotz* in Jahns Jahrb. der Philol. VIII. Jahrg. 23. Bnd. 2. Heft. p. 212.

hujus generis partem explicaverit, reliquam discipuli ipsi perlegant. Prudens autem et institutionis juvenilis peritus magister nullum praetermittet locum, in quo de situ urbium et regionum antiquo exponere possit, et cum eo qui nunc est comparare; quod vulgaris geographiae in scholis tradendae ratio vix potest aut sterilitate sua delectare adolescentum animos aut obscuritate augere eorum doctrinam, et quod certior faciliorque ejus cognitio hauriri videtur e lectione et explicatione historicorum, quam geographorum veterum ipsorum. Illi autem omni de qua disputavi rei non satis convenire breviores illos nec valde frugiferos libellos Eutropii atque similium scriptorum tam clare patet omnibus, ut uberiori demonstratione vix egeat. In legendis autem et explicandis eorum libris, qui dicendi studia aut praeceptis aut exemplis exhibitis conformarunt, ita versabitur recte fungens docendi munere [27]), ut ejus ope facultatem et vim, perspicuitatem et gravitatem, copiam et ornatum dicendi imbibant juvenes et acquirant [28]). Neque enim aliunde praecepta artis oratoriae rectius repeti possunt, quam ex antiquorum artificum operibus, ut ex Ciceronis de oratore libris, aut melius proponi et certius cognosci, quam legendis veterum scriptis, qui, quantum ab injucunda librorum systematicorum [29]) abfuerint ratione, constat inter omnes. Jam quid de poetis dicam? de quorum justa interpretatione si disserere ita vellem, ut omnia, quae dici de singulis eorum generibus et poematis possunt, complecterer, libellus copiosior foret conscribendus. Extant vero etiam

---

[27]) Melius ita: *is qui recte fungetur docentis munere.* Causam cur participium non recte locum habeat expositam videbis ab *Ott. Schulz.* Latein. Grammat. §. 97. 19. p. 556.

[28]) *Acquirendi* vox post *imbibere* non est valde commoda; metaphoram turbatam esse quivis sentiet.

[29]) Sic breviter D. Latinis sunt *libri in quibus praecepta ordinate traduntur,* s. *libri in quibus artis praecepta alia ex aliis nexa traduntur.*

exempla summorum e nostris hominum, ut Heynii, Barthii (*praeceptoris mei et unici totius felicitatis meae auctoris, aeternum mihi venerandi*), Jani clarissima, quae si quis assidue contempletur diligenterque imitetur, non poterit a recta ejus rei ratione ullo modo aberrare. Et ut quaedam tantum in medium proferam, explicandus est in quovis carmine modus, quo res simpliciter dicta aut cogitata tractatur aut exprimitur a poeta, diversa variorum carminum ratio ostendenda est, exponenda sunt ornamenta [30]) quibus tamquam gemmis [31]) distincta splendent veterum carmina, de moribus quoque disputandum et docendum erit, quae nos imitari possimus, quae non item, denique efficiendum, ut, quamvis non omnes discipuli per ingenii naturam evadant poetae, omnes tamen de carminibus judicare discant.

Rerum vero, quas aut hi, quos hactenus [32]) persecutus sum, aut alii scriptores proponunt, cum magna sit varietas et multitudo, eae solae sunt aut attingendae aut illustrandae, quarum cognitione nunc opus sit adolescentibus, et quas imbellicitas eorum capere valeat [33]). Qui enim longius hac in re provehi et doctrinae suae copias, quod nonnulli ambitiose facere solent, ostentare velit, is profecto et operam perdet suam, cum ea tradat, quae pro-

---

30) Hac in re vitanda erit eorum temeritas, qui in quavis etiam simplicissima vocula *belle* exclamant et *eleganter* et sentiri magis omnia quam percipi volunt.

31) Unus est *Martialis* qui *gemmas in carmine* dicere ausus est. Sed quum locum propius inspexeris, videbis vel in poeta minorem esse audaciam, qui in versu *multas in digitis gemmas* commemoraverit. Mirum quod D. noluit scribere *luminibus*.

32) Est hic particulae *hactenus* usus minime probandus. Lege quae rectissime disputata sunt ab *Handio* Hor. Tursell. Tom. III. p. 9. Cf. Latein. Stil p. 150. Latinitatis usus postulat hoc loco *adhuc*.

33) Scribe *possit*. *Valere* sequente infinitivo non aureae est latinitatis.

desse puerili aetati nequeant, et tantis variarum rerum oneribus cumulabit [34]) adolescentum mentes, ut periculum sit, ne opprimantur. Cognovi ego viros, qui ex antiquitatum thesauris omnia conquirerent ad illustrandos quosdam locos, et numos quoque antiquos atque inscriptiones quavis arrepta occasione adhiberent [35]); vidi ego adolescentes, in quorum numero ipse olim eram, qui, neglecta veterum scriptorum lectione, unice appeterent et devorarent commentarios, quibus plerique eorum [36]) onerati sunt, et qui, quo copiosiores sunt, eo magis fere laudantur et eo carius emuntur, sed nec illorum vanitas nec levitas horum probabit se docto et idoneo harum rerum judici. Erant etiam olim qui notas politicas scriptoribus antiquis adderent, vellentque ex iis civilis prudentiae aut artis civitatis regendae exercitusque ducendi praecepta hauriri, quae insunt in iis saluberrima, sed apta viris, non adolescentibus. Omnino enim prudens doctor dabit operam, ne nimis diu in uno scriptore haereat, partim varietatis causa, quae pueros delectat, partim ut plures cognosci et explicariiis possint utriusque linguae auctores, studebitque commodae in interpretando brevitati, a qua nimia tamen absit parsimonia.

Idem vero lubentissime utetur iis locis, quibus aut virtutum pulchritudinem commendare, aut deterrere a vitiorum turpitudine possit. Nam profecto magistri est, non tantum mentem doctrinae opibus ditare, sed animum etiam formare ad sensum pulcri et honesti et recti. Et habebit hujus rei facultatem, si sapienter illa uti velit, admodum

---

[34]) Offendo in hac junctura. Non *cumulatur* quis *onere*, sed *obruitur*. Patebit tibi offensionis causa legenti quae de vocis usu disputavit *Doederl.* Synon. Tom. II. p. 114.

[35]) Satis constat *adhibere* non absolute poni posse; rectius igitur *in usum vocarent*.

[36]) Genitivus post *plerique* vitandus. Ciceronis aetate loqui solebant non *plerique vestrum meminerunt*, sed *plerique meministis*. *Taciti* est Agric. 32. *Britannorum plerique*.

largam in explicandis veterum libris, quorum praecepta vel ob antiquitatem eorum et gravitatem vim habent in animos juveniles maximam. Quid quod et patriae amorem excitabunt multa veterum, Ciceronis imprimis, scripta, quo studio patriae juvandae et ornandae nihil fingi potest salutarius.

Atque eam quidem antiquos scriptores tractandi interpretandique rationem brevissime adhuc expositam et adumbratam magis quam expressam ego sequar, cui divinitus [37]) tribuit patronorum benevolentia munus, quod, ut est animo meo jucundissimum, ita imprimis occupatur explicatione auctorum veterum. Cujus quidem muneris partes omnes ac singulas ita explere semper studebo, ut Vobis, Carissimi Juvenes, quorum institutioni praefectum me esse laetor, opera mea et labor prosit, fides mea et religio Vobis, Collegae Clarissimi, quorum amicitia felicitatem meam mirum in modum augebit, probetur, assiduitas mea et diligentia vestris respondeat judiciis, Patroni Summi, quorum suffragiis ornatus glorior [38]), industria denique mea et pietas Deo placeat, cujus favore nihil majus homini contingere potest. Ut autem et munus more majorum suscipiam, et grates [39]) iis agam, a quibus illud mihi demandatum est, orationem habebo *de vitanda scriptorum male ingeniosorum lectione*, cui, ut Vos, curatores et magistri scholae, fautores atque patroni, omni pietatis cultu proseqnendi, aliique musarum amici benevolas praebere velitis aures, ea qua decet humanitate rogo.

---

[37]) Num *benevolentia patronorum divinitus tribuit* Doeringio *munus?* Hoc quid sibi velit, non satis exputo. An voluit *numine ita volente?*

[38]) Est poetica structura juxta illud Virgilii *sensit medios delapsus in hostes.* Cf. *Ramshorn.* Grammat. §. 168. not. 6. p. 632. Pedestris sermo aureae aetatis postulat *me ornatum esse glorior.*

[39]) In hac precum formula bene se habet *grates agere.* Alias dicendum *gratias agere.*

II.

De Jove tonante.

Epistola ad M. Sam. Erdm. Riepke, pastorem primarium, scholae Gubenensis ephorum, qua singularis ejus liberalitas nuperrime scholae Gubenensi probata grato animo agnoscitur a Fr. Guil. Doering rectore 3. April 1783.

Prodiit Lipsiae litteris Sommeri.

Cum ab antiquissimis inde [1]) temporibus maxima semper laude celebrati sint ii, qui bonas litteras non solum amarent, et pretium suum illis statuerent, sed etiam quolibet modo illas promovere, sustentare atque ornare studerent, profecto a Te, *Vir plurimum reverende*, largissima nobis in has laudes excurrendi suppeditata fuit materies. Equidem jam non commemorabo, quanto amore, quanta benevolentia, quantisque non fucatae amicitiae argumentis [2]) a Te exceptus fuerim, cum hospes in hanc vrbem venissem, quamvis id quoque mens grata commemorare gestiat, sed illud modo dicam, quod et ipsa muneris mei ratio publice praedicari postulat, et jure meritoque vel maximis laudum praeconiis evehi atque extolli debet. Nam cum Tu cogitares, quo potissimum e re Tua scholam nostram augere et beare posses ornamento, quod et bonarum litterarum studium inflammaret, et ad veterum scriptorum elegantias venustatesque rite percipiendas invitaret cupi-

---

[1]) Semel dixisse sufficiet hanc adverbii *inde* collocationem frequentare D. Veteribus usitatus est ordo *inde ab antiquissimis temporibus*.

[2]) Sunt *documenta*. Noli provocare ad *Petron*. Sat. 137. 8. *Amoris hoc est argumentum, non malignitatis*.

dos adolescentes atque alliceret, facile ab insigni Tua liberalitate impetravisti hoc, ut optimorum librorum apparatu bibliothecam nostram adornares et inter alios libros percaros *Lipperti Dactyliothecam*, thesaurum illum elegantiarum antiquitatumque locupletissimum, scholae nostrae comparares atque muneri offerres. Quo quidem munere plane regio quantum splendoris bibliothecae, quantum adjumenti ad exempla artium depromenda praeceptoribus, quantum denique delectationis ipsis discipulis allatum sit, non est, quod multis dicam. Testes sunt scholae provinciales, quae, quanta laetitia et quam grata mente idem munus splendidum a Serenissimo Principe ipsis oblatum exceperint, satis declararunt publicis scriptionibus. Sed nolo jam multus esse in dicendis Tuis laudibus, quas nec libenter audis nec singularis Tua ferre potest modestia, neque copiosus in agendis Tibi gratiis, quibus et meus et omnium discipulorum meorum calet [3]) animus. Pace Tua potius, Vir venerabilis, disputatiunculam Tibi dijudicandam subjiciam, ad quam scribendam ipsa, quam Tibi acceptam referimus, Lipperti Dactyliotheca ansam praebuit. Illa enim cum nuper *Jovis tonantis* mihi repraesentaret imaginem, et eorum, qui ex hebraeo fonte hanc imaginem in paganorum carmina derivatam esse contenderent, semper mihi displiceret sententia, meum qualecunque de hac re Tecum communicare judicium volui, ut me ipsum fortasse errantem meliora edoceres et in viam reduceres.

Omnes fere, qui graecae linguae cognitione non destituti cum hebraica et cognatis dialectis familiaritatem quandam

---

[3]) *animus calet gratiis* et exemplo caret et analogia. Merito offendit vel pluralis cum *calendi* verbo junctus, qui non magis probari potest quam si dicas *gratias referre*.

contraxerunt, consentiunt et amice conspirant [4]) in eo [5]), analogiam quandam hebraicae intercedere cum lingua Graecorum. Qua quidem in re Casaubonis, Bochartis, Seldenis, aliis testimonium denunciare plane non opus est; sufficit nominasse Ernestium, qui plurimam huic rei lucem paravit. Neque dubitari potest, ea, in quibus inter se conveniunt hae linguae, comparari cum fructu et ad explicandos sacros libros prodesse posse [6]). Patet hoc exemplo Schultensii, Vitringae, Venemae, aliorum, qui ex hac analogia pluribus scripturae s. locis, discussis quae illos obsederant tenebris, facem praetulerunt [7]). Sed hic quoque, ut alibi, fuerunt, qui cancellos huic rei circumdatos transilirent, et, quod est in proverbio, ultra oleas evagarentur [8]). Non defuerunt enim, qui ubique in Graecorum monumentis, poetarum praecipue antiquiorum, hebraismos aucuparentur, et cum in Graecia versarentur, in Judaeam se delatos esse somniarent. Sic, ut uno exemplo utar, Stanleius ad Aeschyl. Prom. V. v. 401. locutionem πηγὰς δακρύων hebraismum redolere putat, non immerito hanc ob rem notatus a Doruillio [9]). Frequenter enim haec loquendi ratio legitur apud optimos Graecorum poetas. Mihi quidem haec singula jam excutere nec animus est, nec otium, sed unum tantum pertractare constitui, in quo praecipue hebraicae poesis vestigia viri docti indagasse sibi visi sunt. Saepenumero carmina hebraica deum nobis exhibent coelo descendentem, et vectum per aera tonitru omnia quassan-

---

[4]) Haec loquendi forma minus apta; *amicitiae* notio prorsus aliena ab hoc loco.

[5]) Adde: *ut statuant.*

[6]) Vid. Ernest. opusc. philolog. p. 277. *Doer.*

[7]) Huic metaphorae nunc non locus est; *fax* non praefertur loco cuidam. Simplicissimum offertur: *locis lucem quam desiderabant attulerunt.*

[8]) Est graecum proverbium apud *Aristoph.* Ran. 995. φέρεσθαι ἐκτὸς τῶν ἐλαιῶν, terminos s. modum egredi, modum excedere.

[9]) Ad. Charit. p. 42. *Doer.*

tem. Quae quidem descriptio profecto similis est illi, quam de Jove tonante curru tonitrua ciente dederunt poetae gentilium. Sed haec similitudo ita arrisit viris doctis, ut gentilium poetas aliunde haec accepisse, quam ex hebraico fonte, sibi persuadere non possent [10]). In eadem sententia est P. Burmannus [11]). Nec cavere sibi potuit ab hoc errore acutissimus Anglus, Spencius [12]). Sed priusquam viros doctos in subodorandis hac in re poesis hebraicae vestigiis nimium sagaces fuisse demonstrare potero, fusius et Hebraeorum de Jehovah, et aliorum de Jove Tonante exponenda erit opinio. Judaei proelium cum hostibus commissuri saepe praesentissimum dei experti erant auxilium, qui tempestate concitata hostes perturbatos et attonitos in fugam verteret. vid. Jos. X. 10. 11. 1. Sam. VII. 10. 11. Hinc occasionem signa conferendi captabant tunc, cum tempestas oriebatur. Putabant enim, tempestate coorta, deum coelo descendere, et nubibus invectum fulmina et tonitrua in perniciem hostium moliri, uti docuit Faber ad Harmarum [13]). Hinc explicandi sunt loci Ps. XVIII, 8—16. CIV, 8. Habacuc. III, 8. ubi deum nubibus amictum tempestate fulminibus et tonitruum fragore mixta hostes terrore percellere et in fugam dare, piis vero auxilio praesto esse videmus. Porro huic rei nihil magis congruum erat, quam ut deo, cujus arcae in templo Cherubi additi erant, currum tribuerent Cherubis junctum, quo tempestatem concitaturus nubibus inveheretur. Cherubos enim esse Hebraeorum equos tonantes, currui Jehovae

---

10) Vid. Interprett. ad Virgil. Georg. 1. v. 322. *Doer.*

11) In Jove *Καταιβ.* c. 5. p. 36. ubi comparatis poetis latinis cum carminibus sacris, *Ex his,* inquit, *patet, a divinis vatibus originem sumsisse has locutiones, et hinc ad poetas aliarum gentium, qui similem stili sublimitatem secuti sunt, pervenisse. Doer.*

12) In Polymet. Dial. 6. p. 50, 51.

13) *Beobachtungen über den Orient* etc. Tom. II. p. 286—289. *Doer.*

junctos, docuit Michaelis [14]). Hinc igitur magnifica illa Hebraeorum imago: *descendit Deus atra caligine tectus, incequitat Cherubis, et voce grandisona* (tonitru) *concutit terram.* Exposita vero Judaeorum hac de re opinione, Graecorum etiam et qui ad illos se conformarunt Romanorum Jovem Tonantem curru vectum penitius [15]) inspiciamus. Graeci, quos opinatos scribit esse Herodotus [16]) τοὺς θεοὺς ἀνθρωποφυεῖς εἶναι, etiam diis suis tribuebant currus, quibus e coelo in terram deveherentur. Quid mirum igitur, si Jovi suo quadrigas et currum assignarint? Jam Homerus hoc fecit [17]). Imo stabulum etiam Jovis equorum in Olympo fuisse, indicant φάτναι Ζηνὸς ἀρχαῖαι apud Pindarum [18]), et pascua reperimus apud Callimachum [19]). Ex Homero derivatus est ὁ μέγας ἐν οὐρανῷ ἡγεμὼν Ζεὺς πτηνὸν ἅρμα ἐλαύνων apud Platonem [20]). E Platone, ut hoc obiter [21]) addam, sua hausit Boethius [22]), ubi Jupiter *volucrem currum stabilis regit.* Et videtur adeo Jovis currus in proverbium abiisse apud veteres; certe Plautus [23]) Jovis quadrigis proverbii loco utitur de

---

[14]) In Societ. Scient. Goetting. Tom. I. p. 157—185. *Doer.*

[15]) Saepius D. hoc comparativo usus est: *penitius inspicere, perspicere, cognoscere;* alii multi secuti sunt. Sed *penitus* ad analogiam formarum *funditus, antiquitus, radicitus* all. dictum est, nec usquam admittit comparationem. Quam ob rem tirones sibi caveant, ne hac comparativi forma utantur.

[16]) Libr. I, 131. *Doer.*

[17]) Iliad. 8, 44. et saepe alibi. *Doer.*

[18]) Olymp. od. 13, 132. *Doer.*

[19]) Hymn. in Dian. v. 164 ubi vid. Spanhem. *Doer.*

[20]) In Phaedro p. 344. H. edit. Lugd. *Doer.*

[21]) *obiter dicere, addere* etc. sunt argenteae aetatis. Dicendum *per occasionem, occasione oblata.* Optimi quique scriptores hac sententia habent *eadem,* h. e. eadem *occasione.* Illud tamen non prorsus damnandum arbitratur *Hand* Lehrb. des lat. Stils. p. 134.

[22]) De Consol. Ph. lib. 4, p. 81. edit. Sitzm. *Doer.*

[23]) In Amphitr. I, 1, 294. *Doer.*

celeritate. Jam vero cum putarent veteres Graeci et Romani, Jovem Tonantem orta tempestate descendere [24]) ab Olympo et nubibus involutum tonitrua ciere [25]), profecto sponte hac opinione ducebantur eo, ut Jovi tonanti currum et quadrigas tribuerent [26]). Jam ex his, credo, quae disputavi, liquido apparet, non eandem plane apud Hebraeos Jehovae et apud paganos Jovis fuisse imaginem. Sed dicat fortasse aliquis, vel sic Graecos phantasma suum [27]) ex Hebraeorum effigie adumbrare potuisse. Hoc nunc refellere conabor et ostendere, a Judaeis ad Graecos haec permanare vix potuisse. Equidem nullo modo mihi persuadere possum, illo tempore, quo in Graecia uberrima illa poetarum et philosophorum seges [28]) efflorescebat, ullam Graecis cum Judaeis intercessisse necessitudinem, quae tamen intercesserit oportet, si Graeci sacra Hebraeorum carmina evolvere atque ex eorum fonte areolas suas irrigare [29]) vellent. In quanto enim contemtu et despicatu [30]) Judaei fuerint apud paganos, nemo nescit [31]). Praecipue cultum eorum divinum ita ludibrio habebant, ut quasvis superstitiones *somnia Judaea* appellarent [32]). Plane

---

24) *Καταβαίνειν* v. Potter. ad Lycophr. v. 1370 et Stanleius ad Aesch. P. V. v. 359. p. 731. edit. Pauw. *Doer.*

25) Vid. Lucret. VI, 400. et ibi V. V. D. D. in edit. Havercamp. unde etiam *Διοσημεῖα* haec dicta. Vid. P. Wesseling. ad Diodor. Sicul. T. I. p. 133, 60. et quos ibi laudat. *Doer.*

26) Locos Horatii et aliorum dedit Broukhusius ad Tibull. p. 369 b.

27) Scribe: *suam dei imaginem. Phantasma* proborum scriptorum usus non agnoscit.

28) *Segetem philosophorum* nullo boni scriptoris exemplo defendas.

29) Loquendi formulam probo, sic positam improbo.

30) *Despicatus* vox rarior, cujus dativus in usu est, non alius casus.

31) *Soli omnium Iudaei nihil in medium contulerunt* sunt verba Plinii artificiorum inventores memorantis Lib. VII. c. 56. *Doer.*

32) Vid. Barth. Advers. XI, 4. Diodorus in Excerptis illos vocat *ἔθνος ἀνεπίμικτον*. *Doer.*

igitur abhorrere mihi videtur a veritate, Graecos cum populo, sibi tam infenso, tam arcte consuevisse, ut linguam eorum ediscerent et libros ea conscriptos legerent. Jam vero cum graecorum latinorumque poetarum descriptiones de curru Jovis tonantis datae magnam cum carminibus sacris, tempestatem Dei praesentia ortam depingentibus, similitudinem habere vix negari possit, dicam quid hac de re mihi in mentem venerit. Extra omnem controversiam positum mihi videtur Aegyptum, nutricem per plura secula populi Israelitici, multa animis alumnorum suorum instillasse, quae translati in Palaestinam servaverint [33]). Sed nec id dubitari potest plurima ex eodem fonte hausisse Graecos [34]). Homerum peregrinatum esse in Aegypto et plurima ex iis, quae ab Aegyptiis acceperat, in usum suum convertisse erudite docuit Anglus quidam Anonymus [35]) et Popius [36]). Homerum secuti sunt Pythagoras, Plato, alii, quos recensere longum est. Nonne igitur fieri potuit, ut hanc imaginem, quam ex ritu et opinione quadam Aegyptiorum adumbratam ad Jehovam transtulerant scriptores sacri, Graeci quoque arripuerint et ad rationem suam effinxerint? Certe Cheruborum faciem et formas, quas in aulaeis acu pingendis, qualia erant involucra tabernaculi, exprimebant Judaei, ab Aegyptiis didicisse, magnam veritatis speciem habet [37]). Aegyptios jam Amasidis tempore animalia vestibus intexuisse testis

---

[33]) Multa non trita hanc in rem dedit Michaelis in duplici commentatione *de Jobo Aegyptio, s. de crebris allusionibus ad res Aegyptias in libro Jobi. Doer.*

[34]) Huc pertinet disputatio Herodoti II, 49—59 et Diodori per universum fere librum primum bibliothecae. *Doer.*

[35]) In libro *An Equiry into the life and writings of Homer s. IX. p. 135—179. Doer.*

[36]) In *Essay of Life of Homer p. 121.* vers. Gallic. *Doer.*

[37]) Rejicienda enim esse videtur sententia Is. Vossii, qui ad Catullum p. 196 seq. peristromata illa belluata et animalium formis picta a Judaeis originem cepisse autumat. *Doer.*

est thorax ille (ζώων ἐνυφασμένων πυκνῶν) apud Herodotum [38]). Videntur igitur Judaei περιπετάσματα sua et figuras in iis pictas, in quibus praecipue erant Cherubi, ab Aegyptiis mutuati esse, quod pluribus adstruere [39]) conatus est Spencerus [40]). Cherubos autem equos Jehovae tonantes habitos esse, jam supra observavimus. Cum igitur Graeci mature ejusmodi περιπετάσματα θηριωτικὰ haberent [41]), quae ab Aegyptiis, ut multa alia, acceperant, vel hoc modo currus Jovis tonantis equis sive Cherubis ex Aegyptiorum pictura junctus ad eos transferri potuit. Sed dixerit fortasse aliquis, levia haec esse et nullo tibicine [42]), nisi conjecturis, niti. Fateor, neque pro veris obtrudere aliis volo, sed licet etiam in tenebris micare [43]), et, ubi firma argumenta desunt, conjecturis rem peragere. Sed forsitan ne his quidem opus est. Potest ex ipsa rerum natura mirus diversarum gentium in eadem imagine effingenda consensus explicari. Neminem, qui quidem attenderit animum ad fragorem tonitruum, praeterire potest, proxime illum accedere ad strepitum rotarum currus celeriter procurrentis. Cum igitur in diversis et dissitis re-

38) Herodot. III. 47. ubi vid. Wesselingius p. 220. *Doer.*

39) Voce *adstruendi* Cicero nusquam utitur, alii vero scriptores alium ejus usum noverunt; sufficiat h. l. *docere.*

40) De LL. Ebraeorum ritual. III, 3, 1. *Doer.*

41) Vid. Stanleius ad Aeschyl. Choephor. v. 230. ubi Orestes in textura Electrae commemorat θηρίων γραφὴν cf. Ez. Spanhem. ad Aristoph. Ran. 969. p. 312. *Doer.*

42) Quaesitum hoc. *Tibicinem* columnam observa dictam qua nititur aliquid, ut *Juven.* III. 193. *Nos urbem colimus tenui tibicine fultam Magna parte sui.*

43) *In tenebris micare* sc. digitis est eorum qui digitos praetendunt iisque celeriter sublatis alios conjicere jubent qui fuerit eorum numerus. Qua quidem in re quum multum positum fuerit in ejus qui digitos praetenderet probitate, orta est loquendi formula: *dignus est quicum in tenebris mices,* ut *Cic.* de Off. III. 19. de homine probissimo. Apud Doer. significat *conjecturis locum dare.*

gionibus tonitrua eodem fragore aures percellant, idem quoque diversarum gentium poetis obversari potuit hac de re phantasma [44]). Huc accedit, quod veteres Graeci et Romani in ea versabantur opinione, fornicem illum coeli [45]) metallo esse conflatum [46]). Hac igitur sonitus tonitruum strepitu excitati similitudine cum curru rotarum illisione et celeri vectura crepitante inducti sunt, ut crederent Jovem per aereum coeli pavimentum equos et currum agitare, cujus strepitu fragor ille, quem tonitru appellamus, oriretur. Optime hoc explicavit Spencius [47]), cujus verba, quod ejus liber raro in his terris reperitur, apponam integra: *As the ancients had a strange idea of the brazen vault of heaven, they seem to have attributed the noise in a thunder-storm to the rattling of Jupiter's chariot and horses on the great arch of brass, all over their heads; as they supposed, that he himself flung the flames out of his hand, which dart at the same time out of the clouds, beneath the arch* [48]). Sed non Graeci tantum et Romani, verum etiam aliae gentes tonitruum fragorem currui in coelo instrepenti [49]) tribuerunt. Notatu dignum est, quod observat Michaelis ad Lowthum [50]).

---

44) Malim: *eandem ejusdem rei cogitationem sibi informare potuerunt animo.*

45) Ut vocat vetus poeta apud Cic. de Orat. 3, 40 *οὐρανίαν ἀψίδα* apud Platon. in Phaedro p. 345. A. B. *Doer.*

46) Attingit hoc, sed strictim tantum, Boivinus de Olympo Homerico in Comment. Acad. Inscript. Paris. Tom. X. p. 675. edit. Amstel. Hinc etiam explicanda videntur epitheta illa Olympi Homerica: *σιδήρεος* Od. *O*, 328. *χρύσεος* Iliad. *Δ*, 2. et Pindari *χάλκεον ἕδος ὀλύμπου* Nem. VI, 6. Pyth. X. 41. *Doer.*

47) In Polymet. VI. p. 54. *Doer.*

48) Ex hac opinione explicandus etiam videtur Virgil. Aen. 6, 591. quod neglexerunt interpretes. cf. Porphyr. ad Horat. Od. 1, 34, 7. *Doer.*

49) Cautius abstineas hac voce. Dic: *cum crepitu acto.*

50) In Epimetro ad Lowthum de sacra poesi hebraeorum p. m. 186. *Doer.*

In Suecia, inquit, *audio rusticos vulgo etiam, ubi tonat, dicere bonum senem curru invehi, atque in majore fragore, rotam boni patris frangi clavumque excidere.* Eadem forte opinio invaluerat apud Persas veteres, qui cum ceteroquin in cultu Jovis ab aliis gentibus differrent, *τὸν κύκλον πάντα τοῦ οὐρανοῦ Δία καλέοντες*, ut ait Herodotus [51]), tamen habebant in comitatu regis *Διὸς ἅρμα*, teste eodem auctore [52]). Quae cum ita sint, apparet, Hebraeos et Graecos facile in eandem incidere potuisse cogitationem. Id quod nostra etiam aetate iis, qui versibus pangendis operam dant, saepe usu venire [53]) solet, ut, poetico afflatu abrepti et attoniti, imaginem quandam effingant, quae aliis jam in eadem re describenda occupatis obversata erat.

Habes igitur meam, patrone optime, qualemcunque de imagine Jovis tonantis sententiam, quam eam potissimum ob causam [54]) examinandam Tibi proposui, ut, quid de illa Tibi, optimo harum rerum arbitro, videretur, bene-

[51]) Lib. I, p. 66, 29. edit. Wesseling.

[52]) Lib. VIII, p. 674, 80.

[53]) Recte D. *usu venire*. Alterum quod hodie multi in elegantiis habent *usu evenire* ne latinum quidem est. Quod cur dici nequeat, optime exposuit *Otto* in Excurs. 2. ad Cic. Cat. 3. 7. Accurate de eadem re egit *Kühnerus* meus ad Cic. Tusc. 1. 30. 73.

[54]) Scribe : *ob eam potissimum causam.* Nam quod recentiores frequentant *eam ob rem, eam ob causam* etc., id veteribus admodum infrequens est. Sed errat *Klotzius* ad Tusc. I. 27. 66. qui eam collocationem veteribus prorsus incognitam fuisse contendit. Ipse quidem errorem suum sensisse videtur, qui quod dederat praeceptum deinde ipse arctioribus limitibus circumscribit. Vid. quae idem scripsit ad Tuscul. V. 1. 1. Exempla ex Cicerone si quaeris, adde locos de Orat. I. 47.

vole mihi significares. Quod reliquum est, nihil magis in votis habeo, quam ut diu schola nostra tanto patroni liberalissimi favore fruatur et gaudeat, ut in dies ejus gloria magis crescat, bonarum litterarum studium in adolescentium animis magis excitetur et ferveat, et bona scholae nostrae fama usque ad invidiam apud exteros celebretur. Equidem nunquam desistam ferventissimis [55]) deum flagitare precibus, ut valetudinis integritate et firmitate eaque fortunarum prosperitate, quae in tanta rerum humanarum vicissitudine amplissima dici possit, mactare Te atque beare, et bona omnia, quibus hominum censetur felicitas, benignissime Tibi concedere velit. Quas quidem preces si Deus ratas habuerit, eventuras autem certissime spero, nunquam et mihi et scholae nostrae laetandi deerit materia. Datum ex museo meo a. d. 8. April. 1783.

---

107. Epist. ad Famil. III. 3. 5. III. 12. 3. Recentissimi quique scriptores saepissime, velut *Plin.* nat. hist. VIII. 50. 76. 204. all.

[55]) *Ferventes preces* num ullus veterum dixerit nescio equidem ac dubito valde. Sed non minus recte dictum videtur atque *ardentes preces*, quarum nullum apud veteres exemplum.

III.

De imagine Somni.

Prolusio oratiunculis in auditorio majori scholae Guben. 2. Maj. 1783. recitandis praemissa a rectore Fried. Guil. Doering.

Prodiit Lipsiae litteris Sommeri.

Pausanias, diligentissimus Graecarum antiquitatum perscrutator, in Museo s. templo Musarum a Troezeniis cultarum aram fuisse perhibet, in qua Musis atque Somno sacra fecerint Troezenii. Causam addit, quod Somnus et Musae amice inter se conspirent [1]. Jam vero cum haec Musarum et Somni societas multis permira et plane sibi repugnans visa sit, varias hujus rei rationes commenti sunt fabularum enarratores, quas apud Natalem Comitem legere possunt harum deliciarum cupidi. Mihi vero diu multumque cogitanti et totam illam Somni divinitatem accuratius pensitanti hoc satis liquido apparuit omnem ejus *ἀποθέωσιν* poetarum ingenio deberi adeoque merito ad Musas referendam esse. Hinc patere arbitror Somno, nisi ingratissimus sit deorum, arctissimam semper cum Musis, quibus tanto beneficio obstrictus sit, intercedere debere necessitudinem. Quid mirum igitur, si Musis cum Somno, tam arcto amicitiae vinculo conjunctis, in eadem ara sacra fiant? Hariolatus sum [2], fateor, et probabiliores hujus rei causas in medium afferri posse facile

---

[1]) Pausan. II. 31. p. 184. *ἐπὶ δὲ αὐτῷ (βωμῷ) Μούσαις καὶ ΥΠΝΩΙ θύουσι, λέγοντες τὸν ὕπνον θεῶν μάλιστα εἶναι φίλον ταῖς Μούσαις. Doer.*

[2]) Scribe: *Sola haec est conjectura. Hariolari* aliud quid significare facile intelliges, ubi locos veterum evolveris.

largior, sed illud tamen, quod affirmavi, Somnum deum purum putum [3]) poetarum commentum esse, uberiore explicatione indigere videtur. Atque in iis quidem rebus, e quibus maxima ad humanam vitam redundat utilitas, somnum, laborum illud omnium et sollicitudinum perfugium [4]), ut vocat Cicero, non ultimum locum tenere, inter omnes constat. Arripuerunt hoc poetae antiquissimi, et quem maxime salutarem hominibus esse cognorant somnum, deum fecerunt, quem multis modis exornarunt. Haud scio igitur, an operae pretium facturus sim, si, quomodo in hac Somni imagine effingenda versati sint poetae, paulo accuratius exponam, et, quod vel praecipue in tali disputatione spectandum esse arbitror, quomodo ad unius imaginis archetypum plurimae aliae adumbratae fuerint, anquiram. Quantam autem haec vim habeant ad acuendum subigendumque ingenium eorum, qui non verba tantum poetarum intelligere, sed omnem eorum pulchritudinem percipere cupiant, vel ex Heynii Excursionibus ad Virgilium clare patet.

Docet Euclides [5]) duplicem esse Somnum, juvenem alterum et concinnum moribus, alterum senem, difficilem et molestum. Atque hoc quidem *ἀλληγορικῶς* tantum dictum et ad mores referendum esse apparet. Sed videtur tamen in ipsa etiam Somni dei mythologia duplex persona ei tribui, juvenis altera, altera senis. Senex fuit haud dubie Somnus frater ille Mortis in antiquissimis Theogoniis [6]), frater ille Lethes et Mortis apud Orpheum [7]), et hinc

[3]) Videtur haec loquendi formula in vulgari tantum sermone locum habuisse ideoque vitanda.

[4]) Cicero de Divinat. II. 72. *Doer.*

[5]) Euclides apud Stob. Serm. VI. p. 86. ab init. *ἔστι δ' ὁ μὲν Ὕπνος νεώτερος καὶ μειρακιώδης δαίμων, εὔπειστος καὶ ῥᾴδιος ἀποφυγεῖν· ὁ δὲ ἕτερος οὗτος πολιὸς καὶ γέρων ἀπαραίτητος.* *Doer.*

[6]) Hesiod. *Θεογ.* 211. seq. *Doer.*

[7]) Orph. Hymn. LXXXIV. 8. *Αὐτοκασίγνητος γαρ ἔφυς Λήθης θανάτου τε.* *Doer.*

ductus consanguineus lethi sopor apud Virgilium [8]. Sed multum ab hoc videtur diversa fuisse forma illius Somni, quem in Comitatu Noctis matris videmus apud poetas, quem genium potius Somni appellare possis, juvenem illum et formae venustate decorum, quales omnes genii apud antiquos fingebantur. Juvenis diserte appellatur a Statio in carmine ad Somnum [9]. Huc pertinent omnes illae in veteribus monumentis sepulcralibus Somni, fratris mortis, et quibus mors ipsa indicatur, imagines [10]. Ex hac juvenili

[8]) Aeneid. VI. 278. Somnum, suavem et placidum juvenem, immixtum fuisse sodalitio Curarum, Morborum et aliarum Pestium in aditu Tartari, ridiculum est cogitare. *Doer.*

[9]) Sylv. V, 4. 1. Crimine, quo merui, juvenis placidissime divum. Sic enim interpungendum est. Juvenis, si ad poetam referatur, frigidum est; et sic etiam hic locus a Jac. Tollio in Fortuit. p. 272. et a Lessingio intellectus est. *Doer.*

[10]) Notissima somni cum morte affinitas et similitudo. Dignus omnino, qui conferatur, Plutarchi locus in Consol. ad Apoll. Tom. II. p. 107 E. F. edit. Paris. Pulcherrima sententia, quam ibi auctore non nominato commemorat Plutarchus (*τὸν ὕπνον τὰ μικρὰ τοῦ θανάτου μυστήρια*), a Grotio etiam in Excerpt. laudata, veteris Comici Mnesimachi est, indicante Eustath. ad Homer. Iliad. *Z.* p. 981, 3. ad quam illustrandam conferas P. Wesseling. ad Diodor. Sicul. T. I. p. 260. Homeri loci (Iliad. *Z*, 231. et *Π*, 454. 682. Odyss. *N*. 59.) ansam dederunt omnibus, quas posterior aetas de similitudine eorum et fraterna conjunctione confinxit, imaginibus. Plurima jam, quae in hanc rem dici poterant, occupavit Lessingius in libello: "Wie die Alten den Tod gebildet," in quo p. 26—34 egit de Somni cum Morte similitudine. Omnia, ni fallor, huc redeunt, genium mortis cum inversa face nihil aliud esse, quam Somnum, vel saltem a genio mortis non valde diversum, nisi quod ad Somnum aeternum, perpetuum, h. e. mortem *συμβολικῶς* respiciatur. Atque hoc tum quoque valet, cum in monumentis sepulcralibus genius cum ipsis attributis somni invenitur, qualis est ille in Museo Veronensi p. CXXXIX. 3, ubi inscriptio : Posterisque eorum, manifeste indicat, nihil hoc esse nisi symbolum somni aeterni s. mortis. *Doer.*

Somni forma explicanda est gemma apud Mariettium [11]), ubi Nox dea papavera distribuit venusto juveni, papaverum manipulum e manu ejus accipienti, et tribus aliis a tergo ei stantibus. Per juvenem illum artifex sine dubio somnum exprimere voluit, ut per eos, qui nocti a tergo stant, *Ὀνείρους*. Dubitat tamen Heynius [12]), sitne a vetere artifice haec gemma profecta. Denique huc referenda est antiquissima illa nobilissimaque in arca Cypseli apud Pausaniam [13]) figura, ubi Nox gemellos suos, Somnum et Mortem, ulnis gestans efficta est. Neque dubito, quin statua Somni, qui una cum Morte a Lacedaemoniis colebatur, et altera Somni leonem sopientis, in *στοᾷ* templi

---

[11]) Traité des pierres gravées. Tom. II. p. 1. n. LX. *Doer.*

[12]) Observ. ad Tibull. II. I. *Doer.*

[13]) Pausan. V, 18. p. 422. *πεποίηται* (sc. in arca Cypseli) *γυνὴ παῖδα λευκὸν καθεύδοντα ἀνέχουσα τῇ δεξιᾷ χειρὶ, τῇ δὲ ἑτέρᾳ μέλανα ἔχει παῖδα, καθεύδοντι ἐοικότα, ἀμφοτέρους διεστραμμένους τοὺς πόδας. Δηλοῖ μὲν δὴ τὰ ἐπιγράμματα, συνεῖναι δὲ καὶ ἄνευ τῶν ἐπιγραμμάτων ἐστὶ, Θάνατόν τε εἶναι σφᾶς καὶ Ὕπνον, καὶ ἀμφοτέροις δὲ νύκτα αὐτοῖς τροφόν.* Videmus hic Somnum puerum, colore albo (posteriores poetae Somnum atricolorem finxerunt, v. c. Nonnus Dionys. lib. XXXIII. p. 820. 30. *μελανόχροον ὕπνον*), cruribus extrorsum distortis sive valgis. Egregie hunc locum illustravit Heynius in Praelectione: «Ueber den Kasten des Cypselus, nach dem Pausanias, Goetting. 1775», in qua p. 24 — 36 contra Lessingium «W. D. A. D. T. G.» p. 17. demonstratum ivit, *διεστραμμένους τοὺς πόδας* non esse pedes transversim implexos, sed extrorsum distortos, quos symbolum imbecillitatis Somni pariter ac Mortis fuisse putat. Huic tamen opinioni repugnare videtur locus e fragmento Archilochi, quemadmodum illud constituit Brunckius in Analect. Gr. P. Tom. III. Lect. et Emendat. p. 6. Describitur figura boni imperatoris — *μικρός τις εἴη καὶ περὶ κνήμας ἰδεῖν Ῥαιβὸς, ἀσφαλῶς βεβηκὼς ποσσὶ.* Scio e Polluce V. 62. p. 247. *ῥαιβοὺς* diversos esse a *βλαισοῖς*, quales sunt *οἱ διεστραμμένοι τοὺς πόδας*, verum hoc quoque scio, ad firmitatem pedum, varus an valgus sis, parum facere.

Aesculapii Sicyone posita, quae a Pausania alibi memorantur [14]), etiam juvenili forma exornatae fuerint.

De ipsa jam imagine Somni apud poetas obvia acturo merito incipiendum erit a patre poetarum, e quo tamquam *fonte perenni Vatum Pieriis ora rigantur aquis* [15]). Nam hic quoque videbimus originem totius ὑπνολογίας et fontem, e quo posteriores poetae hortulos suos irrigaverint [16]), quaerendum esse in Homero [17]). Fundum igitur imaginum et paene omnium de somno fictionum [18]) locum esse puto notissimum de somno Jovis Iliad. Ξ. 231 — 361. Longum est singula persequi et recensere, quae antiquiores pariter ac recentiores de hoc loco passim observaverunt, quae cum nihil ad rem nostram faciant, silentio praetermittam [19]).

---

14) De Somno et Morte a Lacedaemoniis cultis locus est apud Pausan. III. 17. p. 253. alter de somno leonem sopiente II. 10. p. 134. Loquitur de statua somni in Aesculapii templo, cujus praeter caput nihil amplius exstat. Pergit deinde ad illius templi *στοὰν*, ubi os balaenae conspiciebatur, *καὶ μετ' αὐτοῦ ἄγαλμα Ὀνείρου, καὶ Ὕπνος κατακοιμίζων λέοντα, Ἐπιδώτης δὲ ἐπίκλησιν. Ἐπιδώτης*, ut ex alio Pausaniae loco III. 17. p. 253. apparet, significat deum Averruncum, et *σωτῆρα*, vid. Kuhnium ad h. l. et Alberti ad Hesych. p. v. p. 1331. Ex hac statua explicandum esse putat Tollius in Fortuitis p. 277. illud monimentum Boissardi somnum repraesentans leoni incubantem, cujus historiam, quomodo ex alio ab alio descripta fuerit, dedit Lessingius in libro jam laudato: w. d. A. d. T. g. p. 76. *Doer.*

15) Est locus *Ovidii* Am. III. 26.

16) Notissimus est *Ciceronis* locus de Epicuro (de Nat. deor. I. 43. 120): *Democritus cujus fontibus Epicurus hortulos suos irrigavit.*

17) Scribendum *apud Homerum*. Aeque falsum est atque illud: est locus in Xenophonte, pro: apud Xenophontem. Scilicet auctor libri Latinis non ponitur pro ipso libro.

18) Concedas hanc vocem de re mythologica scribenti.

19) Verissimus est versus ille veteris Tragici apud Stobaeum *οὐχ' εὕδει Διὸς ὀφθαλμὸς*, cujus veritatem antiqui aeque ac nos perspectam habebant. Hinc varia allegoricarum explicatio-

Sufficiat mihi totam illam fictionem uno quasi obtutu considerasse, et imagines, quas alii poetae ad illam adumbraverint, indicasse: Graeci a Trojanis, quibus Jupiter favebat, graviter premuntur. Juno dubiis Graecorum rebus auxilium latura machinam aliquam ad Jovem intendere, et, quem vi aggredi non poterat, dolo et astutia circumvenire constituit. Quod facillime se effecturam sperat hoc modo, si Jovem lenociniis formae suae delinitum ad concubitum pellicere et dulcissimo somno indulgentem a rerum humanarum et praecipue Trojanorum cura avocare possit. Poterat hoc sine ullo fictionum ornamento satis dilucide enarrari; sed Homerus, quod maximum ingeniosissimumque poetam decebat, aliis simul deis partes suas assignat et lectorum animos suavissimarum imaginum ornamentis demulcere eosque, ut ad eventum, qui totam rerum faciem mutaturus sit, acriter attendant, multa arte adducere conatur. Fingit igitur Junonem primum veneris ceston s. cingulum, quo

num hujus loci apud veteres et recentiores divortia. Lautam talium deliciarum coenam, si cui saliva movetur, suppeditabunt Eustath. ad h. l. Duportus in Gnomologia et Riccius in Diss. Homeric. XXX. p. 103. Sed qui talibus apud Homerum delectantur, nae illi obliviscantur necesse est se poetam legere. Magis scite et apposite ad hunc locum commemorari poterant antiquissimarum gentium de somnis deorum opiniones, cujus rei multa apud veteres extant vestigia. Apprime huc facere videtur locus Plutarchi de Is. et Osir. p. 378. E *Φρύγες δὲ τὸν θεὸν οἰόμενοι χειμῶνος καθεύδειν, θέρους δὲ ἐγρηγορέναι, τότε μὲν κατευνασμοὺς, τότε δὲ ἀνεγέρσεις βακχεύοντες αὐτῷ τελοῦσιν*, unde, ut hoc obiter moneam quoniam in edendo Catullo occupatus sum, lux quaedam affulgere videtur venustissimo Catulli carmini, Galliambo. Caeterum videndi etiam de hac opinione, orientalibus praesertim populis communi, Interpretes librorum sacrorum ad III. Reg. XVIII, 27. et Hemsterhusius ad Lucian. Tim. 6. T. I. p. 111. Caeterum ex hoc Luciani loco et ex alio Origenis, quem ibi laudavit Solanus, apparet veteres jam in jocum vertisse decantatissimum hoc Homeri commentum. *Doer.*

Jovis amorem quasi philtro quodam incendere possit, sibi expetentem, deinde in itinere, quo Idam Jovis sedem petebat, Somno in Lemno insula [20]) invento, ut sibi in Jove con-

[20]) Multum agitata est haec quaestio a veteribus et recentioribus poetae interpretibus, cur Somnum in Lemno insula sibi obvium habuerit Juno. Juvat audire Eustath. ad h. l. p. 980, 57 sqq. Juno in Lemno invenit somnum *ὡς μέν τινές φασι, τυχαίως· διὸ καὶ ἀνύσας τὸ τῆς Ἥρας ἀξίωμα οὐκ ἐπάνεισιν εἰς Λῆμνον — ἀλλ ᾤχετο ἐπὶ κλυτὰ φῦλ' ἀνθρώπων* (atque haec, me quidem judice, simplicissima explicatio proxime ad veritatem accedere videtur, neque Heynio in Excurs. ad Virgil. Tom. II. 550. assentiri possum, qui sedem Somni in Lemno insula posuisse Homerum statuit. Optime tota res explicari poterit e situ harum regionum et insularum, quod fecit elegantissimus Anglus, in *the Essay on the original genius of Homer p. 164 sqq.* vers. germ.), *οἱ δέ τινες γλαφυρώτερον ἐπιβάλλοντές φασιν ἀστείως τοῦτο πλάττειν τὸν ποιητὴν διὰ τὸ φιλοίνους εἶναι δοκεῖν τοὺς Λημνίους, ὡς ἀπογόνους Θόαντος, υἱοῦ Διονύσου* (sequuntur loci Homeri, quibus patet Lemnum Homeri tempore vini feracissimam fuisse). Fuit sane semper arctissima Bacchi cum Somno consuetudo, quod, ut ait Theognis, *θωρηχθέντ' οἴνῳ μάλθακος ὕπνος ἔχει.* Sic apud Gruterum in Corp. Inscript. p. LXVII. 8. inscriptio reperitur: *diis maximis*, Baccho et Somno humanae vitae suavissimis conservatoribus sacrum, quam quidem inscriptionem admodum recentis temporis esse Gruterus jam recte suspicatus est. Cultu etiam sanctissimo Bacchum in Lemno prosecutos esse incolas, vel ex Hypsipyles et Thoantis historia, ut a Valerio Flacco I, 254 sqq. narratur, apparet. Ingeniosa igitur et acuminis plena explicatio est eorum, qui ad *οἰνοφλυγίαν* Lemniorum respicere putant Homerum, quae Popio etiam in Comment. ad Vers. Angl. ad h. l., idonea harum rerum arbitro, arrisit. Comparat hic non minus lepidos recentiorum poetarum in simili argumento locos. Et sane (apud Ariostum in Orland. Furios. Canto XIV. st. 81. et Cant. XXVII. st. 37). Michael angelus Discordiam deam diu frustra quaesitam in monasterio habitantem reperit. Et talia innumerabilia vel e Wielandi, elegantissimi nostratium poetae, carminibus aliisque afferri possunt. Sed, ut ingenue fatear, ejusmodi facetiae, quae maximam suavi-

sopiendo opem ferat, persuadere conantem. Primum blandis alloquiis et promisso in praemium solio ἡφαιστοτεύκτῳ ad voluntatem suam illum permovere studet. Ille tergiversari et obsequium detrectare [21]), experientia se edoctum esse dicens, quam periculosum sit talia contra Jovem machinari. Tum Juno unam illi e pedissequis suis, Gratiam Pasitheam, quam perdite ab illo amari probe sciebat, mercedis loco in matrimonium se daturam promittere [22]),

tatem afferunt lectori in poeta recentiori, a nativa illa et infucata Homeri simplicitate nimis abhorrere videntur, neque alibi in hoc poeta scommatum in urbes vel populos jactorum vestigia me reperire memini) — ἄλλοι δέ φασι, διὰ Φιλοκτήτην ἐκεῖ διατρίβειν τὸν ὕπνον, ὡς ἂν παύῃ τὰς ὀδύνας κατακλίνων τὸν ἥρωα. Sed haec quoque explicatio, orta illa haud dubie e choro apud Sophoclem in Philoctet. 823 sq. ubi auxilium somni ad Philoctetem consopiendum imploratur, nimis longe petita et ab Homeri mente aliena videtur. Caeterum hic locus obversatus videtur Nonno Dionys. XXXI. p. 791, 11, ubi Juno Iridi Somnum in Lemno insula quaerendum esse indicat. *Doer.*

21) *Imperium alicujus detrectare* recte se habet, non item *obsequium detrectare.* Dicas aut *obsequium non praestare*, aut *obedientiam relinquere et abjicere* aut *alicui non parere.*

22) Gratiarum nomina et numerum vario modo in veterum sacris explicari, jam observavit P. Wesseling. ad Diodor. Sic. Tom. I. p. 389, 19. Et est universa illa quaestio de Gratiis, si quae alia in Mythologia veteri, valde impedita, nec satis virorum doctorum studiis adhuc extricata. Pasithea hic a Junone vocatur *Χαρίτων μία ὁπλοτεράων.* Illud ὁπλοτεράων significare videtur, alias etiam Gratias innotuisse veteribus, et sic visum est etiam Pausaniae IX. 35. p. 781. τούτου δὲ εἵνεκα ὑπόνοια δὴ πάρεστί τισιν, ὡς Χάριτας ἄρα καὶ πρεσβυτέρας οἶδεν ἄλλας Ὅμηρος. Vana sunt, quae ad hunc locum argutatur Eustathius p. 984, 23. Praeter Pasitheam Homerus Charin nominat uxorem Vulcani, Iliad. Σ, 382. Videntur Charites comites et famulae (femmes de chambre) Junonis fuisse et hinc illi jus elocandae Pasitheae in matrimonium. Sed cum hoc jus vel imprimis parentibus conveniat, ansam hoc praebuit recentioribus poetis fingendi

et, cum cupide Somnus eam appetit, metuenti tamen, ne dolosa promissione ipsius animum lactet, jurejurando etiam inviolabili [23]) per Stygem se illi obstringere. Quo facto Juno, Somno comite, recta via ad Lectum montis Idae promontorium contendit. Quo ubi advenerunt, statim Juno ad Jovem in Gargarum se confert amorum illecebris animum ejus expugnatura. Somnus interea proceram conscendit abietem, ubi avi nocturnae similis intra ramorum et foliorum umbram caute delitescit [24]). Denique ubi Jovis

---

Junonem fuisse matrem Pasitheae et reliquarum Charitum. Sic Coluthus de Rapt. Helen. 171. et Nonnus Dionys. XXXI. p. 794, 18. Idem alio loco Dionys. XXXIV, p. 844, 21. distinguit tres Charites Orchomenias a trecentarum Charitum Choro, in quo principem locum obtineat Pasithea. Notum est illud Statii — *Pasithea blandarum prima sororum* Theb. II. 286. Caeterum cuivis in mentem veniet Homericam Junonem Somno mercedis loco matrimonium Pasitheae offerentem expressam esse a Virgilio in notissimo illo loco Aen. 1, 71. ubi Juno pari modo Aeolo unam e XIV. nymphis suis in matrimonium promittit, ubi videndus Heynius in Excurs. 11, et quae de Gratiis Junonis comitibus ibi observat. *Doer.*

23) Dixerim *sanctissimo*. *Inviolabilis* est poeticum, ut *violabilis*.

24) Somnus, conscensa abiete procera *Ἔνθ' ἧστ' ὄζοισιν πεπυκασμένος εἰλατίνοισιν Ὄρνιθι λιγυρῇ ἐναλίγκιος, ἥν τ' ἐν ὄρεσσι Χαλκίδα κικλήσκουσι θεοί, ἄνδρες δὲ κύμινδιν.* Scio hunc locum plerumque ita accipi, quasi somnus in avem illam nocturnam se ipse transformaverit. Sed hoc non inest in voce *ἐναλίγκιος*. Comparat tantum poeta Somnum inter ramos delitescentem cum aucilla pari modo inter umbrosos ramos se interdiu occultante. Sic alii quoque Homeri loci explicandi sunt v. c. Iliad. *H*, 58, aut ubi Minervae incessus cum columba comparatur. Caeterum hic locus ob oculos versatus videtur Virgilio Aeneid. XII, 862. ubi Furia in bubonem se convertit, et Miltono in sublimi carmine Paradise lost B. IV, 164. de Satana in Paradiso — Thence up he flew, and on the tree of life, The middle tree and highest there that grew, Sat like a Cormorant. De ave ipsa, quae hic *χαλκίς* s. *κύμινδις* appellatur, multa disputat Eustathius ad h. l. et

oculis sopore perfusis officio suo somnus perfunctus est, devolat ad castra Graecorum, Neptunum, ut hac occasione ad reprimendos Trojanorum impetus utatur, moniturus. Inde in terram se confert.

Ex hoc igitur celebratissimo Homeri loco ortas esse imagines fere omnes, quas reliqui poetae de Somno effinxerunt, argumentis satis idoneis probari posse puto. Primum enim Homeri auctoritate factum est, ut poetae posteriores, quotiescunque vel deos vel homines somno consopitos inducere volebant, non jam simpliciter somno opressos canerent, sed fere semper Somni dei interventu carmini majorem splendorem conciliarent. Notissima, ut ab hoc incipiam, imitatio Virgil. Aen. V. 838—861. Simplicem illam sententiam : *Palinurus, gubernator navis Aeneae, somno oppressus, subito navis impulsu de gubernaculo deturbatus praeceps cadit in mare,* Virgilius ita exornat, ut Somnus ab astris delapsus primo sub specie Phorbantis Palinuri oculis se offerat et ad somnum capiendum eum invitet, deinde his precibus non inductum sed officio suo

Scholiasta. Hoc apparet avem fuisse lucifugam e noctuarum genere. — De diversa, ut hoc addam, deorum hominumque lingua diversae etiam sunt apud veteres recentioresque sententiae. Memini eruditam me hac de re legere disputationem in libro paulo rariore : *Homeri listige Juno,* cujus libri auctor est Postelius quidam; eum doleo nunc ad manus non esse. Prodiit liber ille hujus saeculi initio Hamburgi. Senteutia Postelii, ni fallor, huc redit voces, quas Homerus in Deorum tantum ore versatas esse canit, reliquias esse veteris alicujus et primitivae linguae Scythicae. — Ex hoc loco expressa etiam est Virgilii *Ulmus opaca, ingens, quam sedem somnia vulgo Vana tenere ferunt, foliisque sub omnibus haerent.* Aen. VI. 283. Hinc colorem etiam duxit in festiva descriptione Somniorum insulae Lucianus Ver. Hist. II. c. 33. T. II. p. 128. *κύκλῳ μὲν περὶ αὐτὴν ὕλη ἀνεστήκει, τὰ δένδρα δ' ἐστὶ μήκωνες, ὑψηλαὶ καὶ μανδραγόραι, καὶ ἐπ' αὐτῷ πολύ τι πλῆθος νυκτερίδων· τοῦτο γὰρ μόνον ἐν τῇ νήσῳ γίγνεται ὄρνεον.* *Doer.*

firmiter inhaerentem ramo aqua Stygia madido stringat et sic alto sopore devinctum praecipitem det in mare. Quo facto, *ille volans tenues se sustulit ales in auras* [25]). Statius in Thebaide cum hoc exprimere vellet Thebanos diligenter noctu excubias acturos, ne Argivi, a quibus obsessi erant, tenebris noctis adjuti castra sua relinquerent, et in patriam redirent, ad unum omnes alto et gravi somno oppressos esse, totam rem multo operosiore ornatu ita instituit, ut Juno, quae capitali odio Thebanorum flagrabat, Irin in Somni regiam, de qua infra dicam, amandet et Somnum vix tandem accersitum Thebanorum campis immittat. Theb. X, 80—155. Silius Italicus poeticis coloribus exornaturus illud, quod alii quoque narrant historici, Hannibalem visis et ominibus a consilio Romam oppugnandi deterritum esse, fingit Somnum a Junone Romanorum fati conscia excitari, qui Hannibalem sopitum admoneat, ne fato adversante frustra Romam oppugnare tentet. Lib. X. 341—371. Silius tamen, ut hoc nunc addam, quod saepe ad Virgilium observavit Heynius, satis sinistre antiquiorum poetarum pressit vestigia. Somno eas partes dedit, quae demandandae erant Morpheo, quod vel ex Ovidio Metam. XI, 592 sqq. discere potuerat. Longum est singulas omnium poetarum idem argumentum tractantium referre imitationes inter se plerumque simillimas. Sed non ad homines tantum, verum etiam ad animalia consopienda Somni dei auxilio usi sunt poetae. In Argonauticis Jasoni vellus aureum ablaturo maximum impedimentum objicit draco, custos ejus vigilantissimus. Qui quidem custos cum vel sopitus vel occisus fingendus esset poetis Argonauticis, Medeae opera defungi poterant, quam *φαρμάκοις τὸν δράκοντα ἀποκτεῖναι* tradit Diodorus Sic. IV, 48. Tom. I. p. 291. Sed hic quoque Somno partes suas demandarunt omnes qui ad nos pervenerunt poetae Argonautici, ita tamen, ut

[25]) Conferendus omnino ad h. l. Excursus Heynii T. II. p. 540. *Doer.*

diverso modo rem conciperent animo. Atque Orpheus quidem se ipsum carminibus suis advocasse Somnum refert Arg. V. 1002 sqq. Quatuor elegantissimis versibus describitur ibi Somni adventus et in itinere omnia, res animatas pariter atque inanimatas, sopiisse et tranquilla reddidisse pulchre fingitur [26]). Apud Apollonium Rhodium Medea incantamentis et medicaminibus draconi somnum injectura Libr. IV, 145 inducitur:

Ὕπνον ἀοσσητῆρα θεῶν ὕπατον καλέουσα
Ἡδείῃ ἐνόπῃ, θέλξαι τέρας.

Apollonium secutus est Valerius Flaccus, elegantissimus poeta et post Virgilium inter latinos poëtas facile princeps, qui etiam hoc in loco, ut recte indicavit Burmannus, superavit Apollonium. Apud Apollonium Medea simpliciter somnum in auxilium vocasse dicitur, non addita, qua hoc effecerit, ratione. Valerius contra Medeam conceptis verbis preces ad Somnum facientem exhibet lib. VIII, 70—75. et sunt illae preces elegantissimae, magnoque poeta dignae [27]). Infinitum autem foret [28]), omnia colligere, quae

---

[26]) Conferendus est cum hoc loco ejusdem auctoris hymnus in Somnum sive H. LXXXIV. Sed proderit etiam tironibus contulisse Stat. Theb. X, 141—45. praecipue illa — *pigrius haerent Nubila, demittunt extrema cacumina sylvae, Pluraque laxato ceciderunt sidera coelo*, ut, cum poetam turgidum et inflatum deprehenderint *ἀεροβατεῖν*, et cum eleganti Orphei simplicitate compararint, sensum pulchri acuant et a talibus sibi cavere discant. *Doer.*

[27]) Optandum tamen foret, Valerium in describendo draconis, somno jam penitus oppressi, torpore magis cogitasse sibi cum Somno deo rem esse, et hujus affectus jam ita describendos esse, ut, omni allegoriae specie sublata, personam potius ageret Somnus; in quo tamen ipsum Virgilium passim offendisse scimus. v. Heynium ad Aen. IX. 717. *Doer.*

[28]) Satis constat hodie post *Oudendorpii* ad Sueton. Tib. 61. et post *Ruhnkenii* ad Vell. II. 42. observationes in hac locutione indicativum esse ponendum. Plura si cupis, evolve *Kritz*. ad Sall. Catil. LI. 4. *Kühner*. ad Cic. Tuscul. I. 49.

Homericae fictioni originem suam debent; igitur praecipua quaedam tetigisse sufficiat. Narrat Homericus Somnus Junoni, parum abfuisse [29]), quin Jupiter ira inflammatus praecipitem se daret de coelo

Εἰ μὴ Νὺξ δμήτειρα θεῶν ἐσάωσε καὶ ἀνδρῶν·
Τὴν ἱκόμην [30]) *φεύγων.*

unde patet Homeri tempore jam Noctis cum Somno necessitudinem notam fuisse; sed num poeta indicare voluerit matrem Somni Noctem fuisse secundum antiquae Theogoniae placita vix satis clare ex hoc versu colligi poterit. Hoc vero certum esse puto profluxisse ex hoc Homeri loco aliorum poetarum imagines, ubi Somnus in comitatu et consortio [31]) Noctis apparet [32]). Porro cum apud Homerum

---

116. *Krüger.* Untersuchungen über lat. Grammat. II. p. 333. *Ramshorn.* Lat. Gramm. §. 165. p. 609. Aliquando tamen vel Ciceronem conjunctivo in hac forma uti docet *Kühn.* l. d. Non satis accurate igitur *Handius* Lehrb. des lat. Stils p. 199. de solo Tacito aut aequalibus ei scriptoribus loquitur.

[29]) Frequens haec dicendi formula apud Doeringium. Locis admodum dubiis eam niti et idcirco vitandam esse, grammatici nos docent. Cf. *Hand.* Lehrb. des lat. Stils p. 136. *Matth.* Theor. des lat. Stils p. 6. *Herzog* ad Caes. B. G. II. 17. *Kraft.* ad Muret. p. 262. Dicendum est *non multum abfuisse.* Sed alterum peccatum est in adjecto *quin,* quod poni non potest nisi ubi adsit nominativus, ad quem referatur. Vid. *Kraft.* ad Muret. p. 288.

[30]) *Ἱκόμην* male vertitur: quam adii. *ἱκέσθαι* est supplicare, unde *ἱκέτιδες* supplices, notissima Aeschyli tragoediae inscriptio. Notionem vocis e Sophocle bene illustravit Gesnerus ad Orph. Arg. 937. *Doer.*

[31]) Certe non Ciceroniana est vox. *Societate* praeferam.

[32]) Elegantissimus in hanc rem locus est Tibulli II, 1, 87—90.

Ludite: jam Nox jungit equos, currumque sequuntur
Matris lascivo sidera fulva choro.
Postque venit tacitus fuscis circumdatus alis
Somnus et incerto somnia nigra pede.

Videmus hic Somnum in comitatu noctis, ut apud Stat. Theb. VI, 27. Sed cum solenne sit Nocti currum tribuere

Juno Pasitheam Somno in matrimonium promisisset, posteriores poetae re vera illi junctam matrimonio tradiderunt. Testis est Catullus in venustissimo carmine Galliambo, qui, postquam Atyn et comites ejus diurnis discursationibus et sacris ὀλολυγμοῖς fessos et sopore oppressos cecinit, solis ortu illum expergefactum ita repraesentat v. 42. 43.

> Ibi somnus excitum Atyn fugiens citus abiit,
> Trepidantem eum recepit Pasithea sinu [33]).

(ad imitationem currus solis, uti pulchre observat Heyne Excurs. ad Virgil. T. II. p. 236) Somnum aurigam Noctis haud male fecerunt poetae. Apprime huc facit locus Statii Theb. II, 59. 60. ubi Mercurio ex inferis reduci et per aerem volitanti — Sopor obviüs illi

> Noctis agebat equos, trepidusque assurgit honori
> Numinis, et recto decedit limite coeli.

Et Claudianus illud: *nox erat*, poetice sic exprimit bell. Gild. 213. *Humentes jam Noctis equos Lethaeaque somnus Fraena regens tacito volvebat sidera cursu.* Denique, cum quod notissimum est Lunae etiam currus apud poetas tribuatur (quo Pindaro Olymp. III, 35. χρυσάρματος μήνα vocatur), hujus quoque currus aurigam Somnum constituit nimium luxurians in his imaginibus Stat. Theb. XII, 307. 8. *Doer.*

33) Ridiculus est error Gyraldi Synt. IV. p. 147. Pasitheam de Cybele, quae mater sit πᾶσι θεοῖς, explicantis ad h. l. Non dubito, quin Catullo haec canenti ob oculos versatus sit locus Graeci alicujus poetae, qui Somnum officio suo in alliciendo sopore defunctum illucescente die in gremium Pasitheae suae revolasse finxerat. Respexit forsitan ad eundem Graeci poetae quem ignoramus locum Quintus Calaber, diligentissimus veterum imitator. Apponam locum ad illustrandum Catullum egregie accommodatum. — Postquam Ajacis μαστιγοφόρου nocturnos furores descripsit, ita pergit, libr. V. 395—403.

> *Καὶ τότ' ἀπ' Ὠκεάνοιο κίεν χρυσήνιος Ἠώς·*
> *Ὕπνος δ' οὐρανὸν εὐρὺν* (ita supplevit Rhodom.) *ἀνήϊεν ἴκελος αὔρῃ,*
> *Ἥρῃ δὲ ξύμβλητο νεὸν πρὸς Ὄλυμπον ἰούσῃ*

Ad poetas sequioris aetatis [34]), qui homericam Somni imaginem carminibus suis expresserunt, referendus est etiam Nonnus, qui tamen plerumque, ubi Homeri vestigia legit, nimia ingenii luxuriantis exuberantia et turgida insulsorum epithetorum grandiloquentia [35]) saepe molestus fit et taedium creat lectoribus. Quod etiam in hac imitanda homerici Somni imagine factum est, quam sibi temperare non potuit quin Dionysiacis suis insereret. Sed satius erat ab illa se abstinere, quam sinistra imitandi ratione suavissimae imaginis splendorem obscurare. Legat, cui otium est, totum locum apud Nonnum Libr. XXXI. p. 791 sqq. et videbit, quanta circuitione et quam anfractuosis [36]) ambagibus illi opus fuerit, ut partes suas expleret Somnus. Unum hoc addere liceat. Ne quis erret et Pasitheam revera matrimonio junctam fuisse Somno sibi persuadeat, sciendum est Venerem Pasitheae, ne ad matrimonium cum Somno, cujus nigrities misellae horrorem injiciebat, ineundum cogeretur, tutelam suam promisisse. Docet hoc

---

Τήθυος ἐξ ἱερῆς —
Ἡ δέ ἑ κύσεν ἑλοῦσ', ἐπεί οἱ πέλε γαμβρὸς ἀμύμων,
Ἐξ οὗ οἱ Κρονίωνα κατεύνασεν ἐν λεχέεσσιν
Ἴδης ἀμφὶ κάρηνα χολούμενον Ἀργείοισιν.
Αἶψα δ' ἆρ' ἡ μὲν ἔβη Ζηνὸς δόμον, ὃς δ' ἐπὶ λέκτρα
Πασιθέης οἴμησεν· ἀνέγρετο δ' ἔθνεα φωτῶν.

Quod in secundo versu *ἴκελος αὔρῃ* dicit, illustrari potest e Stat. X, 141. ubi de Somno terras supervolitante: *Illius aura solo volucres, pecudesque ferasque Explicat* — nisi mavis auram in hoc Statii loco de afflatu sive odore quodam accipere, de qua vocis notione vid. Schraderus ad Musaeum p. 303.

[34]) Corrige: *aetate posteriores.* Cave tibi ab usu adjectivi *sequior;* non minus falsum est *serior aetas.*

[35]) *exuberantiam* primus dixit *Gellius, grandiloquentiam* nemo. Nonnum dicas *redundare et superfluere ingenii luxuriantis licentia, eundem verborum tumore laborare* etc.

[36]) Non est vox latina *anfractuosus.* Cur non scripsit *quantis anfractibus et ambagibus?*

idem Nonnus, quod unde acceperit, equidem indagare non potui. Inducit enim Venerem Lib. XXXIII. p. 820, 27. Pasitheam consolantem:

Οὐ μὲν ἀναινομένην σε βιήσομαι, οὐδὲ συνάψω
Λεύκαδι Πασιθέῃ μελανόχροον Ὕπνον ἀκοίτην.

Restant multa, quae poetae de Somno confinxerunt, quorum [37]) fere omnia, licet fundum eorum apud Homerum vix reperias, tamen iis, quae ille de Somno cecinit, apta et quasi superstructa sunt, neque illa cognitu injucunda et ad totam ut ita dicam *ὑπνολογίαν* cognoscendam necessaria.

Apparet pessime Somno illi, qui *πανδαμάτωρ* et *ἄναξ ἀνδρῶν* in poetarum carminibus audit, consultum fuisse, nisi domicilium etiam et sedem, quam inhabitaret, fixam illi assignassent poetae. Sed salva res est. Nam hic quoque poetarum cura effectum est, ut Somnus non Olympi tantum, sed etiam terrae, aut, si hoc mavis, inferorum incola factus sit, cui regiae, ut par erat, et splendidae aedes poetarum exaedificatae sunt ingenio. Et Homerum quidem si respicimus Somnus in ipso coelo vel Olympo habitasse videtur. Patet hoc e loco saepius commemorato Ξ, 258, ubi Jupiter ira exacerbatus illum de coelo in mare praecipitem se daturum minatur. Neque illud, quod in Lemno illi obvia fit Juno, movere quemquam debet, ut supra demonstratum fuit. Sic Virgilius quoque Aen. V. 838. Somnum *aetheriis delabi ab astris* fingit, nisi illud *ab astris* poetico more cum Burmanno de aere explicare mavis. Certe multis saeculis post Homerum Somnum in concilio *θεῶν οὐρανίων* sententiam dixisse jocatur facetissimus Lucianus in Deorum Concil. c. 14. Tom. III. p. 536. *Ὕπνος τὴν γνώμην εἶπεν.* Jam vero cum Nox, mater

[37]) Latinitas postulat *quae fere omnia.* Similiter quod scripsit *Ruhnken.* in initio elogii Hemsterhusii: *tantus vir in illis, quorum vix singuli singulis saeculis nascantur,* verissime emendare voluit *Wolfius: qui vix singuli.* Vid. *Kraft.* p. 299.

Somni, sedem habeat apud inferos, filium quoque ejus in inferorum regno, atque adeo ante Tartarum constituit Hesiod. *Θεογ.* 756. quem hac quidem in parte secutus est Virgilius, qui eum in aditu inferorum una cum Morte, fratre ejus, et cum aliis rebus morti vicinis posuit. Aen. VI, 278. Sed, ut verum fatear, hic quidem Somnus, qui ad inferos collocatur, non tam poeticis imaginibus quam theogoniis veterum annumerandus videtur. Porro autem, cum Somnum et Somnia arctissime inter se cohaerere facile intelligatur, Homerus autem (in notissimo loco Odyss. *Ω*, 11. *πὰρ δ' ἴσαν ὠκεανοῦ τε ῥοὰς καὶ λεύκαδα πέτρην, Ἠδὲ παρ' Ἠελίοιο πύλας καὶ ΔΗΜΟΝ ΟΝΕΙΡΩΝ Ἤϊσαν*—) somniorum habitationes in Oceano occidentali ponat, apparet Somniorum insulam et Somni regiam non inepte in his partibus positas esse a Luciano in Veris Historiis, cujus portentosa mendacia ad fundamentum aliquod historicum conficta aut e communi fabularum doctrina petita sunt. Totus ille locus legi meretur et est festivissimus, Ver. Hist. II. c. 32—34. Tom. II. 127 sqq. Juvat apponere verba e cap. 33. — *εἰςιόντων εἰς τὴν πόλιν* (sc. somniorum) *ἐν δεξιᾷ μέν ἐστι τὸ Νυκτῶον· ταύτην γὰρ μάλιστα θεῶν σέβουσι καὶ τὸν Ἀλεκτρυόνα· ἐκείνῳ δὲ πλήσιον τοῦ λιμένος* (qui pariter *ὕπνος* vocatur) *τὸ ἱερὸν πεποίηται· ἐν ἀριστερᾷ δὲ τὰ τοῦ Ὕπνου βασίλεια· οὗτος γὰρ δὴ ἄρχει παρ' αὐτοῖς, σατράπας δύο καὶ ὑπάρχους πεποιημένος Ταραξίωνα δὲ τὸν Ματαιογένους καὶ Πλουτοκλέα τὸν Φαντασίωνος· ἐν μέσῃ δὲ τῇ ἀγορᾷ πηγή ἐστιν, ἣν καλοῦσι Καρεῶτιν.* Aliam viam in nobilissima illa aulae Somni descriptione ingressus est Ovidius Met. XI, 592—615, qui eam in Cimmeriis collocat. *Est prope Cimmerios longo spelunca recessu* etc. Ovidium in Somni regia depingenda secutus Statius Theb. X, 85 sqq. ad Aethiopes eam collocavit nullam aliam puto ob causam, quam quod poetis in more positum est, omnia, quae sunt fabulosa, amandare in regiones longe dissitas et plane

incognitas, quales fuerunt regiones Cimmeriorum et Aethiopum. Caeterum perjucundum esset singulas has regiae Somni descriptiones inter se et cum similibus recentiorum quorundam poetarum fictionibus comparare, si libelli angustiae permitterent. In universum hoc lubet observare: si verum est, quod in talibus descriptionibus imprimis spectandum esse puto, multigenam [38]) imaginum varietatem, animum lectoris ab una ad alteram identidem abripientem, plurimum delectare, Ovidius profecto hoc optime consecutus eoque nomine Statio praeferendus esse videtur, quod Statius omnem vel levissimum strepitum e descriptione sua excluserit, et magis Silentii, quam Somni, quem levi et non interrupto sono suaviter conciliari scimus, regiam nobis dederit.

Restat, ut alias quasdam de Somno poetarum imagines et nonnulla de attributis ejus et elogiis [39]) addam. Plura quae huc pertinent jam collegerunt praeter Lessingium Jac. Tollius in epistola ad Cuperum scripta, quam inscripsit Ἔρως κοιμώμενος, Fortuitis ejus annexa a. p. 265 — 280. Spencius, Anglus, in Polymet. Dialogue XVI, p. 264 — 266. et Heynius ad Tibull. II. I. 89. Atque illud quidem, *Somnum alatum* fingi, post Cuperum ad Apotheosin Homeri, et Broukhusium ad Tibullum novis exemplis adstruere [40]) velle ineptum est. Hoc quoque

[38]) *Multigenus* est vox poetica. Nam apud *Plin.* nat. hist. XI. 1. init. recte edidit *Sillig. multigenera. Multiplicem* varietatem *Sen.* Ep. 99 dixisse scribit *Gesner.* s. v. Varietas, sed locum non reperi.

[39]) Potius *praeconiis.* Elogium hac significatione non latinum est. Etiam *Ruhnken.*, quod ipse probe intellexit, non debebat laudatissimum illum librum inscribere Hemsterhusii *elogium,* sed *laudationem.* Sed temporum suorum consuetudini id dandum censuit. Vid. *Kraft.* p. 298.

[40]) Scribe *docere velle. Astruendi* vox apud Ciceronem nullo loco reperitur, hac autem significatione ne apud alium quidem scriptorem. Vid. *Freund.* Lex. s. v.

tralatitium [41]) alas ei fuscas dari, ut apud Tibull. l. c. Hinc animadverti debet πτέρυγας χρυσέας illi tribui apud Orph. in Argon. 1008. quas vix alibi Somno tributas invenias, e solenni poetarum consuetudine, qua omnia, quae ad deos pertinent, *aurea* appellant. Jam cum alatus sit, dicitur homines alis suis attingere; nota sunt verba Propertii e Callimacho sumta — *dum me sopor impulit alis* 1, 3, 45. (ubi vid. *Barthius, praeceptor meus et olim et nunc summe venerandus*); vel totum orbem etiam amplecti: Stat. Achill. 1. 620. — ubi *Somnus inertior alis Defluit in terras et totum amplectitur orbem*, et in Theb. V. 198. *amplectitur urbem Somnus*, et Theb. X. 148. *humentibus alis incubat*. Apud Silium Ital. X, 355. Somnus Hannibali immissus — *quatit inde soporas Devexo capiti pennas*, et sic passim alibi [42]). Porro, cum natura Somni ita comparata sit, ut membra sopore relaxata languescant et quasi liquore quodam perfundantur (*dissolvuntur enim tunc demum membra fluuntque*, ut canit Lucret. IV. 917), hinc Somnus dicitur *liquidus, irriguus, irrigare membra, irrorare quietem* [43]). Ex hoc autem

---

[41]) In hunc modum Cic. hoc adjectivum in epistolis tantum adhibuit. Aliud est edictum translatitium apud *Cic.* in Verr.

[42]) Huc pertinet elegantissimum epigramma Meleagri in Antholog. Brunckii Vol. I. p. 25. n. LXXXVIII.

Εὕδεις, Ζηνοφίλα, τρυφερὸν θάλος; Εἴθ' ἐπὶ σοὶ νῦν
Ἄπτερος εἰσήειν Ὕπνος ἐπὶ βλεφάροις,
Ὡς ἐπὶ σοὶ μηδ' οὗτος, ὁ καὶ Διὸς ὄμματα θέλγων,
Φοιτήσῃ (sic emend. Br.), *καταθῶ δ' αὐτὸς ἐγώ σε μόνος.*

Illud *ἄπτερος*, quod Salmasius in *εὔπτερος* refingebat, non sollicitandum est. Jocose enim hoc positum est et sensum parit satis commodum. *Doer.*

[43]) Multis poetarum locis hoc illustrarunt Drakenborch. ad Sil. Ital. VIII. 121. et P. Burmannus ad Valer. Fl. IV, 16. Elegans imprimis locus de aquila in Jovis sceptro dormiente apud Pindarum *Πυθ.* 1, 16. — *ὁ δὲ κνώσσων Ὑγρὸν νῶτον αἰωρεῖ*, et in fragmento Ennii p. 142. edit. Columm.: *cum somno sese exsiccat Romana juventus. Doer.*

4

ortum est, ut Somno cornu tribuerent poetae, unde quietem infunderet [44]. Sed interdum etiam illi tribuitur ramus, quo tamquam adspergillo [45] homines Lethea aqua conspergat [46]. Vel virga tantummodo tangere homines dicitur [47]. Porro notabile quod Somnus amictu suo eos ve-

---

[44]) Hoc cornu videtur inventum poetarum, qui post saeculum Augusteum floruerunt. Primus, qui ejus mentionem fecit, fuisse videtur Seneca in *ἀποκολοκ.* p. 806. ed. Lips. Hyemis adventum descripturus dicit: — *obscuri crescebant cornua somni,* quod Turnebus de cornu Somni (quippe quod longioribus hyemis noctibus largius esse debeat) interpretatur. Nondum persuaderi mihi potuit hic de cornu Somni cogitasse Senecam. Somnum pro nocte dici, notum est; vid. D. Heins. ad Sil. Ital. III. 200. Nox autem, ut Luna, interdum effingitur cum luna in vertice et velo super capite stellis distincto, unde *ἀστροχίτων* vocatur Orph. Arg. 1026. qualem imaginem esse putem illam ab Ez. Spanhem. de Pr. et V. N. Diss. X. 3, 11. prolatam. Cornua autem crescentia dici posse, nemo ignorat. Multo planior est ille locus Stat. in Theb. II. 143. *illos — cornu perfuderat omni Somnus,* ubi Barthius plura exempla apposuit. Patet idem Sil. Ital. X. 352. Somnus *volucris curvo Per tenebras portat medicata papavera cornu,* ubi vid. Drakenb. cf. Spence Polym. XII. p. 264. Caeterum poetica haec imago originem cepit a pictoribus, ut docet Lutatius ad Stat. VI. Theb. 27. Et habemus adhuc apud Philostr. in Icon. I. 27. p. 802. *ὄνειρον* in spelunca Amphiarai, de quo dicitur *ἔχει καὶ κέρας ἐν ταῖν χεροῖν ὡς τὰ ἐνύπνια διὰ τῆς ἀληθοῦς ἀνάγων,* ubi respexit artifex ad portas corneas et eburneas Homeri. — Sed fateor me quomodo haec inter se cohaereant nondum satis perspicere. *Doer.*

[45]) Non est vox Latina. Exprimere voluit nostrum *Weihwedel.*

[46]) Traditur ab Apollonio IV. 156. Medea draconem sopiens: *Ἡ δέ μιν ἀρκεύθοιο νέον τετμηότι θαλλῷ Βάπτουσ' ἐκ κυκεῶνος ἀκήρατα φάρμακ' ἀοιδαῖς Ῥαῖνε κατ' ὀφθαλμῶν.* Imitatus hunc Virgil. Aen. V. 854. Nota est conjunctio Lethes cum Somno, Orph. H. in Somnum. 8. Hinc *Ληθαῖον πτερὸν* illi tribuitur a Callimach. H. in Del. 234. *Doer.*

[47]) Spencius l. d. virgam, qua tangere homines dicitur Somnus, tantum de scapo papaveris, quem manu teneat, intelligi vult. Sed nihil impedit, quo minus veram virgam intelligi posse

lare dicitur, quorum oculos vincit [48]). Caeterum hoc jam per se apparet Somnum maximis elogiis condecoratum esse antiquissimis recentioribusque temporibus, quae singula commemorare nimis operosum foret. Pauca quaedam delibasse sufficiat. Habemus hymnum eorum, qui sub Orphei nomine circumferuntur, elegantissimum in Somnum, saepius jam a me commemoratum. Conferre ad eum Gesnerus jubet Senecam in Herc. Fur. 1065 sqq. qui sane locus est venustissimus, quicum comparari etiam potest Chorus in Sophoclis Philoctet. 823. et Euripidis in Orest. 174 sqq. E quibus omnibus patebit recte Somnum dici *μαλακευχητὸν* ab Aristotele [49]). Habemus etiam poematium Statii ad Somnum, in quo queritur se somnum capere non posse, et Somnum deum advocat [50]). Et sic multo plura in medium proferri possent, nisi jam finem disputationi huic imponendum esse videremus, ne lectori inter ipsam hanc de Somno disputationem Somnus obrepat et taedium.

putemus, respectu ad virgam Mercurii habito, qua hominum oculos signat resignatque somno. vid. Heyn. Excurs. ad Virgil. Tom. II. p. 656. Locus, qui imprimis huc pertinet, est in precibus Statii ad Somnum Sylv. V. 4. v. ult. — *summae me tange cacumine virgae.* In eodem carmine v. 1. pro *spargis flagello* Markland. ad Stat. p. 321. legi jubet: *tangis,* et sic sane Horatius et alii. Apud Statium tamen ferri potest *spargis,* praecipue si *flagellum* hic in altera significatione de cacumine vel ramusculo arboris accipias. *Doer.*

[48]) Apud Tibull. III. 4. 55. — *quum te fusco somnus velavit amictu,* ubi vid. Heynius, qui confert peplum noctis poetis frequentatum. Sed optime, nisi fallor, comparari poterit cum h. l. Valer. Fl. VII. 246. ubi Medea insomniis agitata precatur: *da prendere vestes Somniferas ipsamque oculos componere virga,* quas Burmannus de chlamyde et vestibus Somni dei (v. Stat. Theb. X, 134), quae dormientem adjuvent, intelligi vult. *Doer.*

[49]) In illo nobilissimo Hymno ad virtutem qui legitur apud Brunckium in Analect. Graec. Tom. I. p. 177. *Doer.*

[50]) In Silv. V. 4. Idem argumentum a pluribus aliis poetis tractatum est. *Doer.*

IV.

De alatis imaginibus apud veteres.

Prolusio qua ad audiendam orationem muneris directoris in illustri Gymnasio Gothano adeundi causa 23. Oct. 1786. in auditorio majori habendam invitat
Fr. G. Doering.

(Prodiit Gothae litteris Reyherianis.)

Insignia quaedam deorum imaginibus ab ingenti illa, quae undique in Olympum confluxerat coeli incolarum turba, facilius dignoscendis tributa esse a veteribus, neminem, qui vel a primo limine, quod ajunt, Pantheon aliquod mythicum salutaverit, praeterire potest. Ecquis est enim, qui, ut pervulgato in re notissima utar exemplo, in lepidissimo illo Luciani dialogo (D. D. II.), quo Mercurius e cunis prorepens tirocinia artis suae in surripiendis sceptris, forcipibus, gladiis, tridentibus, cingulis deorum posuisse dicitur, non statim, cui deorum dearumve subducta haec fuerint insignia, intelligat? Sed fuerunt quoque, quae pluribus communia haberentur, in quibus nescio an primo loco ponendae sint *alae*, quas non solum diis sed etiam aliis rebus deorum usibus accommodatis priscam affinxisse antiquitatem inter omnes constat. Complures enim deos semper alatos a scriptoribus et fictoribus formatos esse, quod deinde etiam ad alios deos, qui hoc insigni ab initio caruerint, transferri coeptum sit, non est, quod multis exemplis ex antiquitate ductis demonstratum eamus. Vel uno nunc

defungi [1]) liceat. In Aristophanis avibus cum Epops e Pisthetaero, aves ad Nephelococcygiam condendam exhortante, sciscitatus esset (v. 570 — 575):

Καὶ πῶς ἡμᾶς νομιοῦσι θεοὺς ἄνθρωποι, κοὐχὶ κολοιούς,
Οἳ πετόμεσθα, πτέρυγάς τ' ἔχομεν;

respondit ille

— — — — — — *ληρεῖς, καὶ νὴ Δί' ὅ γ' Ἑρμῆς*
Πέτεται, θεὸς ὤν, πτέρυγάς τε φορεῖ, κἄλλοι γε θεοὶ πάνυ πολλοί.
Αὐτίκα Νίκη πέτεται πτερύγοιν χρυσαῖν· καὶ νὴ Δί' Ἔρως γε.
Ἶριν δὲ χ' Ὅμηρος [2]) *ἔφασκ' ἰκέλην εἶναι τρήρωνι πελείῃ.*

Quamquam in vulgus notum est vel maxime in veterum deorum insignibus alas fuisse, non plane inutilem tamen mihi suscipere visus sum operam, si, quibus causis permoti antiquissimi homines numinibus, quae cultu divino prosequerentur, alas affinxerint, paulo diligentius anquirerem, et hujus rei, cujus ubique tam in poetarum carminibus quam in artis operibus [3]) manifesta exstant vestigia, investigarem causas. Quo quidem consilio liceat, quae commodum se nobis obtulit, scribendi occasione ita uti, ut de imagine illa alarum diis et rebus divinis tributarum uberius exponamus, et, quomodo alatae illae imagines vel ex sermone vel ex opinionibus antiquissimorum hominum

---

[1]) Multis quidem hodie in usu esse hanc loquendi formam non ignoro, sed nondum reperi locum apud veteres, quo firmari ea possit; nec videtur hoc verbum apte cum illo substantivo jungi posse.

[2]) Frustra quaesiverunt hunc locum Intt. apud Homerum. Bene observat *Brunckius* in notis Tom. II. p. 161. ejusmodi versum facile extare potuisse in ea, qua Aristophanes usus sit, Homericorum carminum recensione, sed obliti esse videntur viri docti, quod saepe in veterum locis turbas et conjecturas peperit, non e scripto sed e memoria proferri locum poetae, quem omnes a pueris edidicerant. *Doer.*

[3]) Malim *in artium operibus.*

exortae et effictae sint, pro virili [4]) demonstremus, hac quidem lege, ut genio seculi nostri [5]) litantes trita illa et sexcenties recocta vel plane omittamus, vel paucula, quae in rem nostram faciunt, ex iis delibemus.

Gisbertus Cuperus, elegantis et variae eruditionis vir, sed πολυμαθείας quam ἀκριβείας studiosior, in uberioribus *ad Apotheosin Homeri* annotationibus copiose egit de deorum alis (p. 169—179) et ibi statim ab initio illius disputatiunculae sententiam de origine illius rei exposuit. Statuit autem veteres, cum sibi persuasum haberent [6]), quicquid immortale esset, stare nescire et sempiterno motu aeternitatem servare, non melius exprimere potuisse hanc deorum naturam (τὸ εὐκίνητον vocant philosophi) quam alis, qnas diis illis mobilitate vigentibus affingerent; qnam quidem opinionem ab Aegyptiis et Phoenicibus ortam ad Graecos, inde ad Romanos pervenisse, et hinc plerumque

---

[4]) Dicendum *pro viribus. Virilis pars*, ne errent tirones, ut vulgo fit, est cujuscunque rei communis pluribus, sive bonae et laetae, sive tristis et molestae pars ea, quae unicuique ex suorum numero debetur aequaliter. Sunt verba *Ernestii* in clav. Cic. s. v. virilis.

[5]) *Genius saeculi* barbarum est, sed a multis frequentatum. Est una ex iis notionibus quam plurimi homines hodie in ore habent, veteres aut raro aut simplicissimo verbo expresserunt, velut *saeculum, aetatem* etc. ponentes. Sed ut nostri tamen homines habeant, quo suae scilicet subtilitati in verbis maxime cujusque rei propriis eligendis satisfactum esse arbitrentur, ne forte latinae linguae inopiam quandam esse querantur, *Fr. Aug. Wolfius saeculi sive aetatis ingenium* proposuit, quod sane aptissimum videtur. Hoc apud Doer. loco quam parum aptum sit *genius saeculi*, vel ex adjecto *litare* patet, quod nullo modo ferendum. Ita videtur dicendum fuisse: *hac lege ut quantos in quovis litterarum genere nostrae aetatis homines fecerint progressus reputantes* etc.

[6]) Omisso pronomine dicendum *cum persuasum haberent.* Vid. Interpp. ad *Caes.* B. G. III. 2. *Grysar.* Antib. p. 347. At vel hoc rarissimum.

in tabulis hieroglyphicis deos alatos conspici. Totum igitur illud alarum symbolum in Graecorum mythologia e hieroglyphicis Aegyptiorum et populorum orientalium figuris derivat vir ille doctus. Nec temere rejicienda videtur haec sententia, cum expressa in monumentis Aegyptiorum et aliarum Orientis gentium reliquiis de alis, divinitatis symbolo, exstent vestigia. Antiquissimum hujus rei in libris sacris vestigium apparet in Cherubis, quorum mentionem jam factam esse videmus Genes. III. 24. Quodsi admodum probabile videtur eorum imaginem (quam alatam fuisse omnes norunt) obscura quadam fama ad antiquissimos quosque populos propagatam esse, facile etiam symbolica alarum ad res divinas denotandas origo intelligitur. Aegyptios *volucrum genera multa sculpisse, quas hieroglyphicas litteras appellarunt* (ut verbis utar Ammiani Marcellini XVII. 4. p. 160. edit. Lindenbr.) et deos non solum avium figuris, ut accipitre, ibide, corvo, expressisse, sed humanis etiam deorum formis alas addidisse, non est, quod multis exemplis probemus, quae ubique facile in libris, qui uberius hanc rem explicarunt, reperias. Persas quoque in fingendis diis suis alarum imagine usos esse ex sacris eorum Mithriacis satis liquere puto [7]. Quod autem ad Phoenicum mythologiam attinet, illustris locus Sanchoniathonis exstat in celebratissimo illo fragmento apud Eusebium (Praep. Euang. I. 10), ubi Taautus Saturni humeris quatuor, ejus capiti duas alas affinxisse perhibetur, *τοῖς δὲ λοιποῖς θεοῖς δύο ἑκάστῳ πτερώματα ἐπὶ τῶν ὤμων, ὡς ὅτι δὴ συνίπταντο τῷ Κρόνῳ.* Jam vero cum ex

---

7) Sic Luna alata apud Montfaucon Antiq. Explic. T. II. P. II. L. IV. c. 4 p. 215. in monumento Mithriaco, et ibidem etiam Sol alatus conspicitur. Plura dabit Th. Hyde de relig. vet. Pers. c. 4. p. 113 sqq. et qui multa ad hanc rem pertinentia, sed e monumentis recentioribus Mithriaca qualia omnia fere, esse solent, collegit *Philippus a Turre* in Monument. Veteris Antii c. III. de Mithra. *Doer.*

Aegyptiorum, Chaldaeorum aliorumque orientis populorum sacris Orpheum mysteria sua hausisse negari vix possit [8]) apparet, si quid in Orphicorum reliquiis de alis deorum inveniatur, hoc quoque ex iisdem fontibus derivatum esse. Mystico igitur sensu accipiendae erunt alae Jovis in fragmento Orphico, quod exstat apud Eusebium in Praepar. Evang. III. 9. (in Orphei editione Gesneriana Fragm. VI. v. 34. sqq. p. 366.), ubi de Jove ita canit auctor hymni illius:

Ὦμοι μὲν καὶ στέρνα καὶ εὐρέα νῶτα θεοῖο
Ἀὴρ εὐρυβίης· πτέρυγες δέ οἱ ἐξεφύοντο,
Τῇς ἐπὶ πάντα ποτᾶθ'. Sic legit Gesn.

Ex his igitur, quae strictim tantummodo ex infinita copia attigimus, dilucide apparet alas symbolum fuisse divinitatis in antiquissimis quibusque *τῶν ἱερογλυφικῶν* et mysteriorum involucris, et Cuperum, qui idem affirmaret, in ea saltem re verum vidisse. Licet autem in universum allegorica nonnulla et symbolica in recentiori etiam et populari mythologia ex hieroglyphicis orta esse minime negemus, tamen, quod colligit idem vir doctissimus, omnem inde alarum in imaginibus deorum exornandis usum originem cepisse nondum persuaderi nobis potuit.

Sed cum omnis disputatio nostra ita instituta sit, ut in explicanda ratione, quam veteres poetae atque artifices in hac alarum imagine rebus divinis tribuenda secuti fuerint, imprimis versetur et occupetur, age, jam *ipsas causas* dispiciamus, quibus veteres inducti alarum imaginem adumbrandam sibi sumserint. Quas quidem si partim *physicas* partim *historicas* fuisse contendimus, haud ineptam eas eruendi rationem inire nobis videmur.

Quod igitur ad causas attinet, quas *physicas* appellavimus, satis apparet veterum mythos et fabulas maximam

---

[8]) Vid. Diodor. Sic. IV. 25. ubi *μυθολογούμενα* sua ab Aegyptiis accepisse diserte traditur. cf. Pausan. VI. 20. p. 505. *Doer.*

partim niti causis physicis. Quod cum de universa mythologia egregie demonstraverit *Heynius* [9]), liceat mihi ejus vestigia nunc premere et quas ille, de universo mythorum genere disputans, causas aperuit physicas, jam ad imaginem alarum diis, heroibus et rebus divinis tribntarum referre. In causis physicis igitur, quibus mota alarum imaginem diis affinxit rudis antiquitas, vel maxime ponendus est ipse, quo ad animi sensa explicanda et enunciauda usi sunt homines sermone. Utebantur autem partim ob egestatem linguae nondum satis excultae, partim ob vividam, qua omnia arripiebant, phantasiam [10]) genere

[9]) In Prolusione *de causis mythorum physicis* Gotting. 1764. quae inserta est ejus Opusculis Vol. I. p. 184 sqq. *Doer.*

[10]) Abhorret hic vocis usus a veterum consuetudine. *Phantasia* graecis litteris scripta apud *Ciceronem* significat imaginem rerum ex Epicuri sententia insidentium animo; in Acad. Quaest. I. 39. latine eam *sensum* appellari posse censet. Apud rhetores est ille animi conceptus, quum fingimus aliquid, quod in re aliqua contingere possit, licet idem non eveniat. Sic *Senec.* Suasor. 2. post. med., ubi latinis litteris scripta vox. Nullo modo autem potest id significare quod nos dicimus *die Einbildungskraft.* Est haec ea animi facultas, cui hodie plurimi se liberius prae aliis indulgere propemodum gloriantur ideoque illa voce usque ad nauseam abutuntur; abusum quum dico, ea significatione positum volo, in quam Cicero abhibuit vocem, de qua re legas disputantem *Klotzium* in Jahns Jahrb. der Philol. VIII. Jahrg. 23. Bnd. II. Heft. p. 211, Ciceroniani sermonis scientissimum hominem. Sed non est quod veteres hunc abusum nostris magnopere invideant. Traxit inde haec aetas multa incommoda, quorum expers fuit antiquitas. Quae multi obscuris quibusdam sensibus hodie tribuunt, ea ex sarac mentis praeceptis repetere solebant veteres. Verum noli arbitrari eos, quod non peculiarem qua eam notionem exprimerent habuerint vocem, illa animi facultate omnino destitutos fuisse. Res integra est. Veteres enim ut in omni vita sobrii erant, ita in hac re summam secuti sunt simplicitatem. Ad eam notionem exprimendam iis aliquando sufficiebat *ingenium.*

sermonis translationibus abundante et imaginibus e rebus, quae in oculos cadunt, petitis composito, quo quidem loquendi more ipsi eorum dii sunt compositi. Fingamus enim nos in mediam Graeciam delatos, quo tempore e feracissimis illis omnis mythologiae campis, cosmogoniis et heroum genealogiis [11]), foecunda illa Deorum quos Graeci deinceps coluerunt seges propullulaverat et altas jam ubique in hominum animis radices egerat, quales de diis et eorum formis imagines nobis obversaturas esse putabimus? Nonne omnes apparebunt ἀνθρωπόμορφοι [12]) et nulla re nisi

---

Horat. Sat. I. 4. 43. ubi vide *Heindorf.* Plerumque vero etiam una *fingendi* vox satis esse videbatur. Velut quod nos dicimus *hat Jemand so wenig Phantasie, dass* etc., id *Quintilianus* (VIII. 3. 64) expressit ita: *an quisquam tam procul a concipiendis imaginibus rerum abest, ut* etc. — Caeterum non dissimilem notionem si quaeris quomodo ad nostram rationem accommodate expresserit probatissimorum apud nos Latinitatis auctorum unus, *Ruhnken.* in Elog. Hemsterh. p. 208. *Kraft.*, in perfecto critico duas animi facultates requirit, quarum alteram quidem *imaginum ante perceptarum celerem instaurationem* dicit. — Sed ut statuamus recentiori cuidam scriptori, perspicuitatis dicam an brevitatis studioso, concedendum esse vocis *phantasiae* usum, id quidem certum est ejus beneficio nos nihil *arripere* posse. Doeringius ita fere poterat efferre: *ob vividum ingenium, quo rerum imagines facillime concipiebant animo.*

[11]) Cf. *Heynii* Commentatio ad Apollodor. P. III. p. 911. et ejusdem commentationes: *de origine et causis fabb. Homeric.* in Nov. Comment. Societ. Gotting. Vol. VIII. et *de Theogonia ab Hesiodo condita* in Comment. anni 79. Vol. II. *Doer.*

[12]) i. e. ad humanae formae similitudinem effícti. Quod sequitur *augustiori* habitu deos conspicuos fuisse, id vide quomodo veteres expresserint. Alii dixerunt *formam ampliorem augustioremque humana,* ut *Liv.* I. 7. 9, vel *supra humanam naturam excurrentem,* ut *Sen.* Ep. 92. 23. Aliquando *facies* vocatur *altior fulgentiorque quam cerni inter humana consuevit* apud *Sen.* Ep. 115. 4. *Animus* hominis dicitur *humano fastigio altior, Sen.* Ep. 108. 13. Caesar apud Suet. 76. *ampliora humano fastigio decerni sibi passus est.*

augustiori habitu et grandiori forma ab hominibus differentes? Atque haec quidem ratio, qua ista aetate homines in fingendis deorum imaginibus usi sunt, innumerabilibus veterum poetarum, Homeri imprimis, exemplis ita jam a viris doctis explanata est, ut actum agat, si quis plura addere velit. Jam vero licet ita de diis suis judicarent veteres, ut eos in uno loco hominum ritu versantes ac proinde huc illuc discurrentes et ab uno in alterum locum commeantes sibi fingerent [13]), tamen nimis abjecte et humiliter de illis se sentire putabant, si eodem, quo ipsi incederent, pedum ministerio eos uti statuerent. Major igitur et testudineum [14]) hominum ingressum longe post se relinquens illis tribuenda erat in incedendo celeritas; quam quidem non melius exprimere poterant, quam volatu vel alarum usu et imagine, quod, quemadmodum jocatur servus ille nequam apud Plautum (Pseud. IV, 2. 49.), *sine pennis volare haud facile sit.*

Quod quidem ut eo dilucidius appareat, non alienum erit ab argumento quod tractamus ostendere nullas fere translationes Graecis et poetis imprimis, priscioris dicendi rationis semper studiosioribus [15]), magis usitatas et fre-

---

[13]) Quem fugiunt notissimae illae *ἐπιδημίαι* et *ἀποδημίαι* deorum? de quibus vide *Spanhem.* ad Callimach. p. 87. edit. Spanhem. vel *ἐπιφάνειαι?* de quibus vide quos laudat *Wesseling.* ad Diodor. Sic. Tom. I. p. 29. et *Dorvill.* ad Charit. p. 285. edit. Lips. Notissimus etiam admodum frigidus ille Timaei apud Cic. de Nat. Deor. II. 27. de Diana, cum ejus absentia templum combustum esset, jocus. *Doer.*

[14]) Ex *Plauto* desumtum Aulul. I. 1. 10.

[15]) Praestat: *prisci sermonis rationem cupide servantibus.* Potes etiam dicere *prisci sermonis custodibus,* quemadmodum grammatici vocantur *latini sermonis custodes* apud *Sen.* Ep. 95. 16. Praeter alia offendit comparativi forma *priscior.* Observent juvenes qui ad latine scribendi laudem adspirant haud pauca esse adjectiva apud Latinos, quorum notiones ita comparatae sunt, ut gradum non admittant; in horum numero est *priscus.* Nullus scriptor dixit *priscior, priscissimus,* neque id dicere

quentatas fuisse, quam quae a volatu et avium celeritate ductae essent. Nam cum innumerabilibus fere exemplis probari possit Graecos vel tum, cum lingua eorum maxime exculta esset et perpolita, subinde et paulo durius aliquando hac translatione a volatu petita usos esse, quis, quaeso [16]), dubitet eandem antiquiores poetas etiam multo frequentius adhibuisse, quippe qua ad celeritatem significandam vix quicquam significantius et ad indolem illius aetatis et sermonis accommodatius cogitari poterat. Et sic optime, puto, ex ipsa sermonis Graeci natura et ingenio apparebit alas, quas vetus Graecia diis suis affinxit, non Daedali alicujus opificio, sed sermonis, quem ipsum πτηνὸν [17]) vocabant Graeci, sollertia contextas et exornatas esse. Atque hoc *primum* neminem, qui Graeca volumina diligentius evolverit, latere potest [18]) Graecos, quidquid maxima celeritate agitatum dicere vellent, alatum finxisse. Pelopis equi pernicitate pedum erant insignes. Vulgaris igitur sermo hoc ita efferebat, ut a Neptuno, scilicet Ἱππίῳ [19]), hos

potuit; sic alia multa reperiuntur in quorum usu vel doctissimi homines nostrae aetatis ab errore sibi non caverunt.

[16]) Vera est docti cujusdam hominis, sed nescio cujus, observatio a veterum scriptorum consuetudine abhorrere, si hoc *quaeso* aliter ponas quam ubi vere alteum alloquaris. Velut hoc loco minus aptum esse intelliges, ubi vocis usum apud veteres perspexeris.

[17]) Sic μύθους πτηνοὺς habes apud Euripid. Orest. 1176. Sed quis in his desideret exempla? quis nescit ἔπεα πτερόεντα Homeri optime explicata a *Gesnero* in Isagoge P. 1. p. 94. edit. Niclasii. *Doer.*

[18]) Scribendum *neminem fugere* s. *praeterire potest*. Saepissime hodie peccant in illius verbi usu. *Latere* res dicitur, quam, quod obscura est, nemo accurate novit. Vid. *Weber's* Uebungsschule für den lat. Stil p. 186. not. 92. *Grysar* Theor. des lat. Stils p. 320. Etiam accusativus personae verbo ita adjectus offensioni est. Vid. *Ramshorn*. Grammat. §. 118. 3. a. p. 343.

[19]) Vide, quod de illo observat, venerabilis muneris nostri antecessor, *B. Strothius* ad Liv. I. c. XI. p. 27. *Doer.*

Pelopem accepisse diceret et ad celeritatem exprimendam pedibus eorum alas adderet, quorum imaginem vetustissimo illi artis monumento, arcae Cypseli, insculptam fuisse testatur Pausan. V. 17. p. 420. edit. Kuehnii. Hinc Pindarus veterem linguae indolem ubique retinens Olymp. I, 139. de iisdem ita canit:

— — — — τὸν μὲν ἀγάλλων θεὸς
Ἔδωκεν δίφρον χρύσεον, ἐν πτεροῖσίν τ' ἀκάμαντας ἵππους.

Sic in eadem arca Cypseli l. l. p. 423. Gorgones, ut maximam earum pernicitatem in persequendo celerrime aufugiente Perseo exprimeret artifex, apparent ἔχουσαι πτερὰ πετόμενον Περσέα διώκουσαι. Porro cum viderent naves, currus illos velivolos, longe velociores esse terrestribus, his quoque alas affingere non dubitarunt. Notissimus est versus Homericus (Odyss. Λ. 124) Οὐδ' εὐήρε' ἔρετμα, τά τε πτερὰ νηυσὶ πέλονται [20]). Pegasi, Persei, Daedali et Thebanae Sphingis [21]) fabulas ex antiquissimo hoc loquendi usu explicandas esse, quis non videt? Nec recentior Graecorum aetas ab hujus translationis usu ab-

[20]) Copiosi in hac mutua alarum et remorum explicanda translatione fuerunt interpretes, *Stanleius* ad Aeschyl. Agam. 52. p. 697. edit. Pauw. *Dorvillius* ad Chariton. p. 262. edit. Lips. et quos laudat *Drakenborchius* ad Sil. Ital. XII. 98. et *Hemsterhusius* ad Lucian. Timon. 40. p. 151. Hinc apud Catullum *phaselus palmulis volare* dicitur. *Doer.*

[21]) Sphinx illa, παρθένιον πτερὸν, ut appellatur ab Eurip. Phoeniss. 1226 sqq. (ubi vid. *Valckenar.*) dicitur apud Pausan. IX. 26. p. 760. κατὰ λῃστείαν σὺν δυνάμει ναυτικῇ πλανωμένη. Miror igitur Palaephatum in explicanda hac fabula non eandem viam institisse, quam saepissime ingressus est, ita, ut Sphingem de pirata aliquo celeriter navigante interpretaretur. Forsitan sic minus errasset, quam in aliis. De spinge illa recentiore, semper alis instructa, videndus est Ez. Spanhem. de Pr. et Usu N. V. p. 240 sqq. qui cum in eadem disputatione etiam de Harpyiis, Sirenibus, gryphis et id genus portentis aliis docte et copiose egerit, multa ex eo peti possunt, quae hic repetere nolumus. *Doer.*

horruit. Illustris est locus Platonis de Rep. V. p. 167. (p. 40. T. VII. edit. Bipont.) ubi equitandi artem pueris educandis adhibendam esse docet: *πρὸς τοίνυν τὰ τοιαῦτα, ὦ φίλε, πτεροῦν χρὴ παιδία ὄντα εὐθὺς, ἵν' ἄν τι δέῃ πετόμενοι ἀποφεύγωσι. Πῶς λέγεις; ἔφη. Ἐπὶ τοὺς ἵππους, ἦν δ' ἐγὼ, ἀναβιβαστέον ὡς νεωτάτους.* Nec dubito, quin Socrates ipse hac translatione usus sit, cum Xenophon, plane ad ingenium Socratis compositus, eandem passim ad rem suam accommodaverit[22]). *Deinde* hoc quoque observare licet omnes fere animi perturbationes et affectiones vehementiores, tragica imprimis grandiloquentia, ita exprimi apud Graecos, ut tam sperantes quam metuentes, tam dolentes quam gaudentes alas sumere et evolare dicantur. Pindarus hic quoque agmen ducat, apud quem (Pyth. VIII. 128) insperato bono mactatus exultabundus *ἐξ ἐλπίδος πέταται ὑποπτέροις ἀνορέαις.* Sophocles de summa laetitia perfuso (Aj. v. 693) *περιχαρὴς ἀνεπτόμαν* (sic enim legit Brunck. quem vide), de animo trepidante *φόβῳ ἀνέπταν* in Antig. 1307. (edit. Brunck.) Plura, quae facili negotio ex tragicis, imprimis er Euripide [23]), in medium proferri possunt exempla, silentio praetermittimus, cum satis larga eorum seges [24]) apud alios quoque exstet. Sic Theognis, poeta haudquaquam inelegans, modo integra ejus nec miserum in modum mutilata et lacera haberemus carmina, *laetitia evolare* se fingit v. 1055. ex edit. Brunckii in Gnomicis Graecis:

---

[22]) V. c. K. *Π.* IV. 3. et de Mag. Equit. c. VIII. ubi equites *ἄνθρωποι πτηνοὶ* appellantur. *Doer.*

[23]) Vide Hippolyt. 1292. Jon. 796. 1237. Orest. 1375. quibus alia adde quae laudat Dorvill. ad Chariton. p. 309. et 607. edit. Lips. *Doer.*

[24]) Damnanda est haec loquendi forma ob perversum translationis usum. *Exemplorum seges* ex eadem ratione falsum est, qua *exemplorum nubes*, licet utrumque quibusdam recentiorum paene in deliciis sit.

Ἤδη καὶ πτερύγεσσιν ἐπαίρομαι, ὥστε πετεινὸν,
Ἐκ λίμνης μεγάλης ἄνδρα κακὸν προφυγών.

Infinitos autem haec translatio lusus peperit apud posterioris aetatis scriptores, ex quorum infinita copia unum saltem exemplum ponamus ex Philostrato, ubi *ὑπ' ἔρωτος πτηνὸς γενόμενος* (nos: *von der Liebe beflügelt*) legitur in Epist. XLVII. p. 936. edit. Olear. Atque ex eodem fonte profluxit elegans usus verborum quorundam, velut *πτερυγίζειν*, quod proprie de pullis avium expansis alis volatum tentantium dicitur, deinde eleganter transfertur ad illos, qui frustra et inaniter aliquid conantur, qui sibi non constant, fluctuant et instabiles sunt. Vid. Bergler. ad Aristoph. Plut. 575. Pari modo multiplex est usus verbi *πτεροῦν* vel *ἀναπτεροῦν*, quod cum proprie sit *alas addere* eleganter deinde de iis dicitur, qui ad aliquid suscipiendum excitantur. Discas id ex Aristophane Avv. 1436—1450, quem locum totum adscribere juvat. Inducitur ibi sycophanta quidam famelicus et lucri cupidissimus, qui, ut urbes circumvolitare et reos inde in jus vocare possit, alis instrui cupit a Pisthetaero. Quem cum a turpiori victum quaerendi ratione ad honestiorem vitam revocare vult Pisthetaerus, in haec verba erumpit sycophanta: *Ὦ δαιμόνιε, μὴ νουθέτει μ', ἀλλὰ πτέρου.* Respondet Pisthetaerus: *νῦν ταῦτα λέγων πτερῶ σε.* Syc. *καὶ πῶς ἂν λόγοις ἄνδρα πτερώσειας σύ;* Pisth. *πάντες τοῖς λόγοις ἀναπτεροῦνται.* Syc. *πάντες;* Pisth. *οὐκ ἀκήκοας, ὅταν λέγωσιν οἱ πατέρες ἑκάστοτε τοῖς μειρακίοις ἐν τοῖσι κουρείοις ταδί· δεινῶς γέ μου τὸ μειράκιον ὁ Διϊτρέφης λέγων ἀνεπτέρωκεν, ὥσθ' ἱππηλατεῖν. Ὁ δέ τις τὸν αὑτοῦ φησιν ἐπὶ τραγῳδίᾳ ἀνεπτερῶσθαι καὶ πεποτῆσθαι τὰς φρένας.* Syc. *λόγοισιν ἄρα καὶ πτεροῦνται;* Pisth. *φήμ' ἐγώ. ὑπὸ γὰρ λόγων ὁ νοῦς τε μετεωρίζεται, ἐπαίρεται τ' ἄνθρωπος· οὕτω καὶ σ' ἐγὼ ἀναπτερώσας βούλομαι χρηστοῖς λόγοις τρέψαι πρὸς ἔργον νόμιμον.* Potest igitur ex uno hoc loco perspici

quantum translatio ab alis ducta veteribus arriserit. Eodem verbo aliquoties eleganter usus est Xenophon. hist. gr. III, 4. III, 1. et in Sympos. c. XI. 5, ubi spectatores chori *ἀνεπτερωμένοι ἐθεῶντο*. Sic saepe apud Polybium, ubi vide *Casaubonum* p. 213. Apud Dionys. Halic. *Ἀρχ.* VI, 50. Tom. II. p. 1154. 9. edit. Reisk. in oratione Menenii Agrippae hostes Romanorum, occasione illos opprimendi oblata, *ἀναπτεροῦνται ταῖς γνώμαις*. Alia quaedam exempla ad locum Aristophanis dedit *Beckius* et *Villoisonus* ad Long. *Ποιμ.* p. 91 sqq. [25]). Huc pertinet denique Theocriteum illud *ἐκπεποτᾶσθαι τὰς φρένας*, de quo vide *Hemsterhusium* apud Valck. ad Id. XII, 72. *Porro* ad hanc Graecorum consuetudinem, alarum imagine vel volatu vehementiores animi affectiones exprimentium, referendum etiam videtur illud poetarum *ἐνθουσιαζόντων*, qui alis praeditos, vel in alites transformatos volare se fingunt. Illustre in hanc rem exstat fragmentum Anacreontis, quod legitur apud Schol. Aristoph. ad *Ὀρνιθ.* v. 1312. (in fragmentis Anacr. fr. XXIII. edit. Fisch.)

> *Ἀναπέτομαι δὴ πρὸς Ὄλυμπον,*
> *Πτερύγεσσι κούφαις, κ. τ. λ.*

Festive hoc apud Aristophanem imitatur Cinesias poeta famelicus, qui ampullas et sesquipedalia verba captaturus in auras alarum ope eniti molitur. Patet autem ex alio loco Aristophanis *Εἰρην.* v. 829. dithyrambicos illius aetatis poetas sublimitatem quandam affectasse ejusmodi exordiis. Trygaeus enim scarabaeo, lepide jam vices Pegasi sustinente,

---

[25]) Hinc lux affulget loco obscuro apud Aristoph. *Ἀχαρν.* 970. ubi Dicaeopolis, turdis et merulis, quas humeris portat, largiter se invitaturus, exclamat: *εἴσειμ' ὑπαὶ πτερύγων κιχλᾶν καὶ κοσσύφων*, quod *Berglerus* non inepte vertit: *intrabo sublatus alis turdorum et merularum.* Utitur enim Dicaeopolis in hanc sententiam fragmento cantici tum usitati, quod ad h. l. observant scholia, ut sensus sit: *spes comedendorum turdorum et merularum* alas pedibus meis addet. *Doer.*

in coelum evectus narrat post reditum se praeter tres animas διϑυραμβοδιδασκάλων ἀναβολὰς ἐνδιαεριανεριvηχέτους ibi aucupantium in aere invenisse neminem. Caeterum conferendum est cum Anacreontis fragmento aliud ejusdem poetae apud Athenaeum XIII, 8. p. 599. (in fragm. XXXVI. p. 274. edit. Fisch.) [26]). Ad hanc animi afflammationem referendus est etiam insignis locus Euripidis in Hippolyt. 732 sqq. ubi chorus, ut varias terrae regiones volatu perlustrare queat, avis fieri cupit. Sed quis plura in re nota exempla desideret, cum ex communi fere loquendi more animus paulo concitatior alas sumere et in coelum extolli dicatur [27])? *Denique* huc referenda est frequens illa apud Graecos imago, qua quis vel simpliciter curru, vel curru alato in sublime ferri [28]) fingitur. Nam cum priscis illis

[26]) Poetae saepe illud Aristophanis suum facere videntur in Ὀρνιϑ. 784. *οὐδὲν ἔστ' ἄμεινον οὐδ' ἥδιον, ἢ φῦσαι πτερά.* Nam, ut verissime ait Plato in celeberrima illa disputatione de poetarum afflatu divino, *κοῦφον — χρῆμα ποιητής ἐστι καὶ πτηνὸν καὶ ἱερὸν* in Jone p. 54. edit. *Muelleri*. Hinc explicandus locus Horatii IV. od. 2. 25. *Multa Dircaeum levat aura cygnum.* Praecipue autem e formulis his, tam crebro apud Graecos poetas obviis, praeclarus ejusdem poetae locus illustratur. II. od. 20. *Non usitata nec tenui ferar Penna biformis per liquidum aethera.* In qua quidem adumbranda imagine poetae animo graecum quendam poetam obversatum esse facile tibi persuadeas. Vide *Jani* in argumento. Locus Platonis, quem ibi laudat, et quem totum apponere debebat, est de Republ. X. p. 765. 13. Caeterum nonnulla huc pertinentia collegit *Klotzius* in Lect. Venusin. p. 141. sqq. *Doer.*

[27]) Id quod omnium fere gentium consensus affirmare videtur. Certe neque a recentioribus linguis exulant ejusmodi translationes. Orientalibus autem populis vel maxime frequentatae sunt, apud quos ipsa illa poetarum sententia, qua in initio carminum alitum more in auras evolare finguntur, satis usitata est. *Doer.*

[28]) Non caret quidem exemplo haec junctura, sed frequentior apud Ciceronem est altera *sublimem ferri*. Observavit *Ochsner*. in Eclog. Ciceron.

temporibus et heroicis curru et quadrigis vehi tam honoris quam summae in certaminibus celeritatis signum esset (vid. Cic. de Div. II, 70.), facile patet currus quoque factos esse alatos ab hominibus imagine, ab alis et volatu ducta, mirum in modum tum delectatis. Currus ejusmodi aerius intelligendus est in elegantissima illa Pindari imagine de iis, qui poetarum carminibus celebrantur. Isthm. II. 1, 2, 3.

Οἱ μὲν πάλαι —
Φῶτες, οἳ χρυσαμπύκων
Ἐς δίφρον Μοισᾶν ἔβαινον [29])
Κλυτᾷ φόρμιγγι συναντόμενοι.

Et sic etiam interpretandum est exordium illud in Lycophronis Cassandra v. 14. 15.

Ἄνειμι λοξῶν ἐς διεξόδους ἐπῶν
Πρώτην ἀράξας νύσσαν ὡς πτηνὸς δρομεύς.

Hinc Famae currus alatus, quo viri inclyti circumvecti dicuntur, explicandus videtur. Nec alienus ab hac re est locus *Ammiani Marcellini* XXXII. 1. «*Utque solet fama novitates augere, properabat exinde sublimior* (Julianus, cum de morte Constantii certior factus esset), *ut quodam Triptolemi curru, quem ob rapidos circumgressus aeriis serpentibus et pinnigeris fabulosa vetustas imponit*» cum quo Ammiani loco comparandi sunt notissimi illi versus Ovid. Trist. III, 8. *Nunc ego Triptolemi cuperem conscendere currum* etc. Elegantissimus porro de curru aerio, quo quis omnibus conspiciendus ve-

[29]) Currum tribui poetis res est notissima, Ovid. A. A. I. 39. II. 426. Sic apud Nemesian. Cyneg. v. 8. *juvat aurato procedere curru.* ubi vid. *Wernsdorf.* Saepe a viris doctis laudatae sunt quadrigae poeticae Cicer. ad Qu. Fr. II. 15. Hinc ipsum prosae orationis genus *pedestre* vocatum est. Versus enim vehiculum, *ὄχημα*, esse poetarum, vel e Plutarchi libello de audiend. Poet. cap. II. p. 10. edit. *Krebsii* constat. Adde quae disputavit hac de re *Hemsterh.* ad Lucian. Prometh. c. 6. p. 32. *Doer.*

hatur, locus est in fine Somnii Lucianei c. 15. ubi consulatur *Hemsterhusius*, p. 20. Ex his igitur, quae adhuc disputata sunt, satis apparere puto nullam fere translationem magis graecorum sermone frequentatam esse, quam quae ab alarum imagine ad celeritatem indicandam petita esset. Restat igitur, ut ad ipsas deorum rerumque divinarum imagine |salatas, quas e causis physicis originem traxisse affirmavimus, jam progrediamur.

Hoc igitur statim ab initio animadvertendum esse videtur ab antiquissimis Graeciae poetis et artificibus omnes omninò deos alatos habitos esse et fictos [30]), quod celerrimum eorum motum nulla re aptius exprimere poterant, quam alarum ope volandi facultate. Sed procedente tempore, cum omnes fere deos curru vectos inducerent poetae, paucis tantum diis alae relictae sunt, iis quidem qui ad explendas demandatas sibi partes aegre alarum usu carere posse viderentur. Atque hanc poetarum rationem cupide secuti sunt artifices, cum nativam illam deorum pulchritudinis speciem alarum additamentis magis offuscari [31]) et deturpari quum illustrari et exornari viderent [32]). Quod autem ad antiquissimum illum omnes deos alatos fingendi morem attinet, hujus tam ex poetarum quam artium quibusdam

[30]) Observat id *Heynius in Antiquarischen Aufsätzen* 1. St. p. 80. ad vetus illud cognomen Bacchi *ψίλας*, apud Amycleos culti, ut tradit Pausan. III. c. 19. p. 258. de quo infra agemus. *Doer.*

[31]) Est recentissimi temporis vox. Scribe *obscurari.*

[32]) Multo pauciores dii alati in artium operibus inveniuntur, quam in poetarum monumentis, quia, quod jam diximus, officere nativae corporis pulchritudini alarum forma videbatur artificibus, eadem fere ratione, qua observatum est Bacchi statuas et imagines, quae cornibus in capite dei *κερασφόρου*, qualis describitur a poetis, emineutibus insignitae sint, reperiri admodum paucas, quod bene post *Spencium* in Polymet. Dial. observavit *Jani* ad Horat. Tom. I. p. 422. Confer *Laocoontem Lessingii* p. 95. sqq. et *Winckelmann über die Allegorie* p. 9. edit. Dresd. *Doer.*

operibus et monumentis breviter jam nobis liceat quaedam indicare. *Saturnus*, deus tardipes [33]) et compedibus vinctus, *alatus* tamen conspicitur in numo Elagabali apud *Patinum* in Numismat. Imperat. Romanor. p. 333. Adde *Cuperum* ad Apotheos. Homer. p. 43. ubi in marmore antiquo *Χρόνος* alatus cernitur [34]). *Jovem* interdum *alatum* apparere in veteribus monumentis, jam observavit *Winckelmannus Geschichte der Kunst* Tom. I. p. 87. edit. Dresd. Cf. ejusdem *Versuch einer Allegorie* p. 35. et *Descr. des pierres gravées du Cab. de Stosch.* p. 53. n. 135. Sic *Jupiter Pluvius* expansis alis, undique aqua madidis et rorantibus, conspici vulgo putatur in columna Antonini apud *Fabrettum*, cujus imaginis ectypum vide apud *Burmannum* ad Petron. c. XLIV. p. 215 [35]). *Diana alata* visebatur in arca Cypseli, id quod mirum jam visum est Pausaniae V. 19. p. 425. *Ἄρτεμις δὲ οὐκ οἶδα ἐφ' ὅτῳ λόγῳ πτέρυγας ἔχουσά ἐστιν ἐπὶ τῶν ὤμων*[36]). Sic *alata*

---

[33]) *Tardipes* est Vulcani epitheton apud *Catull.* XXXVI. 7. unde positum de eodem apud *Colum.* X. 419.

[34]) Maxima cautio adhibenda est, ne *Χρόνου* et *Καιροῦ* monumenta inter se confundantur. *Καιρὸς* enim s. Occasio, recentioris originis numen, semper alatus conspicitur. Sic in *Καιροῦ* a Lysippo facti *ἐκφράσει* Callistratus Stat. VI. Opp. Philostrat. p. 897. *εἱςήκει ἐπί τινος σφαίρας, ἐπ' ἄκρων τῶν ταρσῶν βεβηκὼς, ἐπτερωμένος τὼ πόδε*, quod deinde explicatur p. 898. *τὸ πτέρωμα τῶν ταρσῶν αἰνίττεσθαι τὴν ὀξύτητα.* Vid. ibi *Olearius* et ad *Phaedri depictam occasionem* V. 8. V. V. D. D. *Doer.*

[35]) De Jove Pluvio, *Ὑετίῳ*, vid. praeter *Burmannum* ad l. d. et in *Jove Fulguratore* c. V. *Stanlei.* ad Aeschyl. Agamemn. 1400. *Interpr.* ad Tibull. I. 7. *Gataker.* ad Antonin. V. 7. p. 146. in opp. Gatakeri et imprimis *Spencium.* in Polymet. Dial. XIII. p. 210—213. ubi figura Jovis Pluvii e numo exhibetur. *Doer.*

[36]) Vide quae in hanc rem disputat *Heynius* in Praelectione de arca Cypseli (*Vorlesung über den Kasten des Cypselus.* Gotting. 1760.) *Doer.*

etiam occurrit [37]) in numis quibusdam Trajani apud *Tristan.* Comment. historiques. p. 310. et 521. adde *Cuper.* ad Apotheos. Hom. p. 177. Quid mirum igitur, si *Lunae* etiam alae tribuantur in Hymno antiquissimo Homerico in Merc. 213. *Μήνην ἀείδειν τανυσίπτερον ἔσπετε Μοῦσαι.* Notat quidem ibi *Ernestius* insolens hoc esse Lunae epitheton; verum nullo modo sollicitandum videtur. Sic alatam sibi finxit Lunam Poeta Romanus, Manilius Astron. I, 226. ubi ita alloquitur Lunam: *Ultima ad Hesperios* infectis *volveris* alis, cujus versus patrocinium contra Bentleium suscepit *Dorvillius* ad Charit. p. 373. Lips. Nec opus est, ut *Dorvillium* l. d. secuti in hymno Homerico *τανυσίπτεροι Μοῦσαι* refingamus, cum locus ille vetustissimi hymni et Homero ipso fortasse antiquioris recte ex antiquissima omnes deos alatos fingendi ratione explicari posse videatur. Eandem rationem sequitur recentior haud dubie [38]) aetate Homeri, sed ad antiquiorem aliquem expressus Hymnus in *Dioscuros* in Hymn. Homer. p. 109. edit. Ern. ubi *Dioscuri* quoque v. 14. *alati* apparent, qui naufragio periclitantibus opem laturi·

— — — *ἐξαπίνης ἐφάνησαν*
Ξουθῇσι πτερύγεσσι δι' αἰθέρος ἀΐξαντες.

---

[37]) De dea dictum neminem offendet; de vocabulo usurpatum secus dici constat.

[38]) Promiscue plurimi qui latine scribunt ponunt non dubie, haud dubie, sine ulla dubitatione, sine ullo dubio. Hoc ultimum ne latinum quidem est, quod *dubium* substantivi loco usurpatum adjectivi naturam non exuit. Verba *sine ulla dubitatione* nihil aliud significant quam *ohne Bedenken, ohne alles Bedenken.* Vid. *Stuerenb.* in Comment. l. ad Cic. Offic. p. 135. Contrarium non persuasit *Hand.* Lehrb. des lat. Stils p. 155. *Haud dubie* apud Ciceronem nullo loco reperitur; apud alios veterum ubicunque legitur, ad rem ipsam quae narratur refertur, velut *hostes haud dubie vicerunt,* die Feinde haben entschieden gesiegt. Ubi ad loquentis judicium refertur, veteres scripserunt *sine dubio.* Vid. *Kühn.* ad Cic. Tuscul. III. 3. 5.

Notatu sane digna imago, quam neque in alio loco, ubi de eadem re sermo est [39]), neque in ipsis gemmis et numis, in quibus saepissime occurrunt hi *σωτῆρες*, facile reperias [40]). Ad eandem antiquissimam rationem referenda est imago *Parcarum* in nobili earum, sed maximis difficultatibus impedita descriptione in Hymno Homer. in Mercur. v. 549:

Μοῖραι γάρ τινες εἰσὶ, κασίγνηται γεγαυῖαι,
Παρθένοι, ὠκείῃσιν ἀγαλλόμεναι πτερύγεσσι,
Τρεῖς.

Venus alata lilia manu gerens occurrit in Mus. Florent. Tom. I. 72. n. 1. [41]). *Bacchum* interdum *alatum* formatum esse conjectura assequi possumus e loco Pausaniae jam supra allato III. 19. p. 258. ubi refert Amyclaeos Bacchum vocasse *ψίλαν*. cf. Hesych. s. v. *ψίλακα*, quod explicat. *πτηνόν*. Ipse Pausanias addit. l. c. *ψίλα καλοῦσιν οἱ Δωριεῖς τὰ πτερά*. Sed nullo modo cum Cupero huc trahendus est locus Catulli Epith. Pelei et Thetid. v. 252. *At parte ex alia florens* volitabat *Jacchus;* nam in hoc loco *volitare* est: *huc illuc discurrere*, *exsultare*, ut saepe apud Ciceronem (cf. Clav. Ernest. s. h. v.). *Musas* antiquissimis temporibus alatas fuisse docet Porphyrius de Abstin. anim. l. III, 16. p. 119. edit. Cantabrig. *Οἱ Ἕλλη-*

---

39) Potius *agitur*. Sermo est eorum qui inter se colloquuntur. Saepissime hodie in ea voce peccant.

40) Recentiorem hunc Hymnum esse Homero ex eo apparet, quod Dioscuri hic sunt *σωτῆρες* navigantium, cujus opinionis nondum ulla vestigia exstant apud Homerum, quippe quae tum demum orta videtur, cum Dioscuri cum Cabiris, diis Samothraciis, confunderentur. Vide *Hemsterh.* ad Lucian. Tom. I. p. 287. *Heyn.* ad Apollod. Tom. II. p. 719. et *Wesseling.* Diodor. Sic. Tom. I. p. 287. *Doer.*

41) Eandem alatam exhibet e veteri quam putat pictura *Ramirez de Prato* in Hypomnemat. ad Martial. p. 40. Sed merito dubitatur ab eruditis, sitne illa genuina et a vetere aliquo artifice profecta. *Doer.*

νες — τὰς Μούσας ἐπτέρωσαν καὶ τὰς Σειρῆνας· κατὰ τὰ αὐτὰ δὲ τήν τε Νίκην καὶ τὴν Ἶριν καὶ τὸν Ἔρωτα καὶ τὸν Ἑρμῆν. Sed fatetur *Cuperus* ad Apotheos. p. 170. se praeter hunc, ubi alatarum Musarum descripta sit imago, nuspiam [42]) alium locum indagare [43]) potuisse, nisi quis huc trahere velit locum Ovidii Metam. V. 288. ubi Musae *sumtis alis* Pyreneum effugisse dicuntur, vel quae de pennis Sirenibus post certamen evulsis tradit Pausan. IX. 34. p. 778. Cf. *Winckelmannus* in *Versuch einer Allegorie* p. 38.

Ex his igitur, quae modo attulimus, et quibus longe plura, si opus sit, addi possint [44]) exempla, liquido apparet antiquissimis temporibus, cum nondum verbis assequi possent deorum praestantiam homines, plurimos deos alatos fictos et ad eam qua tum utebantur loquendi rationem attemperatos esse. Sed mature, quod supra jam observavimus, cum lingua magis excoli coepisset, mos ille omnes deos alatos fingendi paulatim cessavit et elanguit. Apud Homerum enim, praeter Mercurium et Irin, ne ii quidem dii alis instructi reperiuntur, quibus recentior aetas omnium consensu alas affinxit. Nec dubitandum est, quin egregie dignitati deorum consuluerit Homerus, cum celerem illorum ingressum non alis, quas singulis tribueret, sed aliis modis

---

42) Scribe *non; nuspiam* a multis usurpatum ne latina quidem vox est. Uno in loco olim apud *Gell.* Noctt. Att. V. 3. legebatur, sed in melioribus editionibus deletum invenies.

43) *Indagare* proprie canum est, quibuscum nolim comparare grammaticum. Indagantur etiam rei *indicia*, sed vix credo *loci*.

44) Debet esse: *addi possunt exempla*. Non solus D. hac formula deceptus est, sed doctissimi adeo et in scribendo perdiligentes homines, velut *Reisigius* meus, quem jure notavit *Heinrich.* ad Cic. de rep. p. 172. Lege modo Heinrichii disputationem l. d. et p. 166. quod is quam eleganter etiam de rebus grammaticis scribi possit exemplo suo comprobavit. Adde *Hand.* Theorie des lat. Stils p. 199. *Kühner.* ad Cic. Tuscul. II. 19. 45.

etiam aptioribus describeret. Descripturus enim celeritatem, qua dii deaeve ex uno in alterum locum secedentes usi fuerint, vel pedibus incedentes, vel curru more heroico vectos depingit, vel rapidum illorum cursum cum velocissimo avium volatu comparat. Jmo et Minerva in terram descensurae curru vehuntur Iliad. *Θ*. 374; *E*. 745, saepius. Et quis non novit et, si noverit, admirabundus semel atque iterum contemplatur illam imaginem, qua Neptuni ad auxilium Graecorum advolantis velocitatem describit Iliad. N. 20. *Τρὶς μὲν ὀρέξατ' ἰών, τὸ δὲ τέτρατον ἵκετο τέκμωρ.* Minervam denique ab Olympo desilientem saepius comparat cum harpa, avi illa ex aquilarum genere velocissima, velut Iliad. *T*, 350 [45]). Jam vero cum Mercurius et Iris nunciorum personam sustineant apud Homerum, illis quidem, magis incedendi celeritate quam dignitate nobilitandis, alas et talaria tribuit poeta summus. Hinc Iris passim vocatur *χρυσόπτερος*, ut Iliad. *Θ*, 398. *Λ*, 185. Quod autem ad Mercurium attinet, de ejus alarum usu apud Homerum recte dubitari potest. Non alae enim proprie illi tribuuntur ab Homero, sed talaria, *πέδιλα, τά μιν φέρον ἠμὲν ἐφ' ὑγρὴν, Ἠδ' ἐπ' ἀπείρονα γαῖαν, ἅμα πνοιῇς ἀνέμοιο.* Iliad. *Ω*. 340. Ex quibus vix tuto colligi potest, quod saepe factum est, Homerum jam alata Mercurio tribuisse talaria [46]), nam verbum *πέτεσθαι*, quod mox v. 335. de

[45]) Cf. qui plures locos collegit et de toto deorum incessu apud poetas egit *Heynius* ad Virgil. Aen. I, 402. Excurs. XIII. p. 121. Tom. II. *Doer.*

[46]) Scilicet *πέδιλα* Homero sunt calceamenta in genere Iliad. 13. 44. ut patet etiam ex etymo vocis. Cf. *Albert.* ad Hesych. s. v. T. II. p. 898. *Graevii* Lect. Hesiod. ad Theog. p. 12. et *Beckius* ad Aristoph. *Ὀρνιθ.* 974. Cum igitur Homerus hanc vocem de calceis Mercurii celerrime incedentis adhibuerit, factum est, ut illa nunquam fere postea nisi de alatis deorum talaribus diceretur. Tribuebantur enim haec talaria etiam aliis diis; v. c. Minervae, de qua locus est insignis apud Cic. N. D. III, 23. *Plantares alas* vocat Stat. I. Theb.

Mercurio et saepe ile aliis diis apud Homerum dicitur, in universum celerrimum deorum motum significat. Eadem enim ratione *ταχείας ἐνδρόμιδας*, quas Iridi tribuit Callimachus Hymn. in Del. 338. alatos cothurnos fuisse affirmari possit, quod tamen nemini, credo, unquam venit in meutem. Quodsi

303. nbi vid. ***Burthius.*** *Πέδιλα* sive talaria alata Occasioni tribuit Posidippus in noto illo epigrammate in Analect. Vet. Poet. Graec. XIII. p. 49. Tom. II. edit. Brunck. — *Τί δὲ ταρσούς — Ποσσὶν ἔχεις διφυεῖς; ἵπταμ' ὑπηνέμιος*, quod imitatus est Ausonius Epigr. XII. v. 5. Pari modo *πέδιλα* assignat Nonnus *Νίκῃ* lib. II. p. 52. v. 25. 26. edit. Wechel. *Καὶ Διῒ μουνωθέντι παρήορος ἵκετο Νίκη, ἠέρος ἀκρὰ κέλευθα διαγράψασα πεδίλῳ.* In universum autem observare licet talaria fere ad summam in conficiendis negotiis indicandam celeritatem adhibita fuisse. Sic in anaglypho in aedibus Minervae Chalcioeci apud Pausan. III. 17. p. 251. *Περσεῖ ἐς Λιβύην καὶ ἐπὶ Μέδουσαν ὡρμημένῳ* Nymphae dant *ὑποδήματα, ὑφ' ὧν οἰσθήσεσθαι διὰ τοῦ ἀέρος ἔμελλεν*, quae in eadem historia *πτηνὰ πέδιλα* appellat. Apollodor. II, 4. p. 95. Heyn. — De Persei talaribus res nota. Sed Atalantae etiam currenti tribnuntur talaria ab Ovid. X. Met. 591. quod ***N. Heinsius*** minus recte de tunica talari accepit, merito ob id reprehensus ab ***Ernestio*** in Clav. Cic. s. v. Et hinc proverbium illud apud Cic. ad Att. XIV, 21. ***talaria induamus*** h. e. viam, qua quam celerrime clabi possimus, circumspiciamus. Caeterum ut hoc de Mercurio, a quo omnis ille talarium usus profluxit, addamus, notum est alas etiam ejus caduceo procedente tempore additas esse, et nescio an huc referendum sit epithon illud paulo obscurius in virgae Mercurialis descriptione Hymn. in Mercur. 527. *τριπέτηλον.* — Denique cum petasus etiam vel galerus (Stat. I. Theb. 304.) illi tribuatur, sive quod viatores et nuncii imprimis petaso usi fuerunt (vid. ***Victorius*** V. L. I, 24 et V. V. D. D. ad Sueton. Aug. 82.) sive quod pileus vel causia apud Arcades, Mercurii gentiles, praecipue in usu fuerunt (vid. ***Valckenar.*** ad Theocrit. Adoniaz. p. 345), huic quoque petaso alas affinxerunt. vid. ***Lippert. Dactylioth.*** I, 317, 321. Huc respicit Philostrat. in Ep. XXVI. p. 825. *ὁ Ἑρμῆς κομᾷ τῷ κροτάφῳ καὶ τοῖς σφυροῖς*, et sic saepe alibi, quod negasse miror ***Seyboldum in Introduct. ad Mythol.*** p. 226. ***Doer.***

ad ceteros deos, quos semper alatos finxit aetas posterior, animum attendimus, nusquam fere ab Homero alas illis additas esse reperiemus. Sic *Somnus*, quem recentiores poetae nunquam non alatum fingunt [47]), apud Homerum in loco illo notissimo Iliad. Ξ. 281. non alatus, sed pedes una cum Junone incedit. Sic *Somnia*, quae semper alata finguntur (v. c. apud Eurip. Hecub. 71. *μελανοπτέρυγες ὄνειροι*, Petron. c. CIV. *Somnia, quae mentes ludunt, volitantibus umbris*, quod imitatus est poeta recentior e poetis minoribus *Wernsdorf.* Tom. II. p. 182.), Homero sunt δῖα, quamvis illa aeque ac Mercurius et Iris nunciorum et interpretum partes apud Jovem sustineant. Sic *Venti*, quos ubique fere in veterum monumentis [48]) alis

[47]) *Volucer* appellatur in Hymno suavissimo in Somnum apud Senec. in Hercul. Fur. 1065 sqq. *Ληθαῖον πτερὸν* illi tribuitur a Callimach. H. in Del. 234. ubi, quam *Spanhemius* in notis e schedis Pighianis exhibet Somni imaginem alatam, merito illi alteri a *Boissardo* et *Lessingio* delineatae praefertur ab elegantissimo harum formarum spectatore *Herdero* in *zerstreute Blätter* Tom. II. p. 322. Adde, quae nos olim uberius de Somni alis disputavimus in Prolusione *de Imagine Somni*. Cf. *Hemsterhus.* ad Lucian. Tom. I. p. 130. *Doer.*

[48]) Res nota e poetis. *Ventos alatos* in turri marmorea, Athenis adhuc conspicua, ex Itinerario *Sponii* laudavit jam *Cuperus* p. 178. Eandem describit *Chandler.* in *Itiner. Graeciae* c. XXI. Mirifice autem in depingendis ventorum alis sibi placuerunt poetae, ex quibus pauca apponere liceat. *Notum* madidis alis evolantem depingit Ovid. Met. I. 264 — 267. cui contrarium fere imaginem adumbrat Juvenal. Sat. V. 100. *dum se continet Auster, Dum sedet et siccat* madidas *in carcere* pennas; cf. Orph. Hymn. LXXXI. *Alas fulvas* Boreae dedit Ovid. VI. Met. 706. ubi in raptu Orithyiae describendo ingeniose lusit poeta. Longe aliam in ejusdem raptus imagine formam habet Boreas in arca Cypseli apud Pausan. V, p. 424. *οὐραὶ ὀφέων ἀντὶ ποδῶν εἰσὶν αὐτῷ.* Zephyri dulcissimam imaginem exhibet Claudianus de R. P. III. 88. *Ille novo madidantes nectare pennas Concutit et glebas foecundo rore maritat.* cf. Orph. Hymn. LXXX. Sed

circumvolitare videmus, in elegantissimo episodio, ubi commodissima alas illis tribuendi suppeditabatur occasio, absque [49]) alis conspiciuntur Iliad. Ψ, 214. Sic *Ate*, quam, ut Parcas et Orcum [50]), haud dubie [51]) alatam finxit antiquitas, pedibus tantum insultare dicitur hominum capitibus, Iliad. *T*, 92. Sic *Erinnys*, quamvis alata Furiarum imago ubique fere sit obvia [52]), ab Homero tamen ἠεροφοῖτις appellatur Iliad. I, 571. Sic *Fama*, semper apud alios alata

eidem tribuitur etiam equus. Huc pertinet locus vexatissimus Catulli *Chloridis ales equus* LXIII. 54. quem recte hinc explicat *Wernsdorf.* ad Poet. Min. Tom. I. p. 271. Eundem describit Philostratus Icon. I, 24. p. 799. ubi, quod mireris, πτηνὸν κρόταφον illi tribuitur. Observandum est enim in loco corporis, cui alas affingerent, saepe variasse veteres. Quod patet praecipue in Boreae filiis alatis Zethe et Calai, quorum *humeros alatos* fingit Ovid. IV. Met. 716, *pedes* Apollon. I, 219, *tempora* Stat. V. Theb. 435. De qua veterum inconstantia vid. *Wesseling.* in *Probabil. Crit.* IX. p. 77. et *Burmann.* in *Catalog. Argonaut. ad Val. Flacc.* s. v. *Calais* p. CVI. edit. Harles. *Doer.*

49) *Sine alis. Absque* hac sententia Ciceronis aetate non erat latinum. Vide ut alios taceam *Hand.* Hor. Tursell. Tom. I. p. 67. *Ramshorn.* Gramm. §. 150. 3. p. 467.

50) Orcus (Ἀιδης), cum personam Θανάτου sustinet (vid. Petron. c. 34. p. 144. edit. Burm. et *Herder.* zerstreute Blätter II. p. 309), interdum alatus fingitur. Alceste in tragoedia cognomine apud Eurip. 260. exclamat: ἄγει μέ τις — ὑπ' ὀφρύσι κυαναυγέσι βλέπων πτερωτὸς ᾅδας. Et Gratius in imagine, pro ingenio illius poetae satis sublimi, Cyneget. 347. *Stat fatum supra, totumque* (τὸ ὅλον, totum orbem) *avidissimus* Orcus *Pascitur, et* nigris *orbem circumsonat* alis. Huc pertinent etiam Horatiana: *volucrisque Fati tardavit alas* II. od. 17, 24. cf. Satyr. II, 1. 58. *Doer.*

51) Vide quae supra observavimus.

52) V. c. apud Euripid. Orest. 317. Δρομάδες ὦ πτεροφόροι Ποτνιάδες θεαί. — *Stridentes anguibus alas* illis tribuit Virgil. Aeneid. VII. 561. et *ventosas* in pulcherrima illa imagine XII, 845—848. cf. *Barnes.* ad Eurip. Herc. Fur. 822, et *Spanhem.* de P. et V. Numismat. V. 5. p. 260. *Doer.*

et volans, apud Homerum Odyss. *Ω*, 412. *Ὄσσα κατὰ πτόλιν ᾤχετο πάντῃ.* Sic *Harpyiae* denique, quas omnis posterior aetas volucres effinxit [53]), in locis apud Homerum nondum alatam volucrum formam induunt, quam posteriori demum tempore in scriptorum et fictorum monumentis accepisse videntur.

Cum vero, quod supra jam dictum est, *omnes dii* (*Heynii* verbis utor ad Apollodor. p. 301.) *armis et curribus instructi sint, non aliter atque heroes*, quid

---

[53]) Harpyias in antiquissima lingua graeca procellosos illos turbines, sive cataractas (potius typhones; attende quomodo *Plinius* id expresserit; is igitur nat. hist. II. 49. 50. 134. columnam appellat, quum spissatus humor rigensque ipse se sustinet), quas nostrates *Wasserhosen* vocant in mari mediterraneo saepius animadversas (vid. *Faber.* ad Harmari observationes Orientales P. II. p. 187. sqq.) designasse, post *Vossium* de Th. Gent. saepius observavit *Heynius* ad Virgil. Tom. II. p. 358. *in Antiquarischen Aufsätzen* St. I. p. 51. et *ad Apollodorum* p. 186. Patet hoc ex antiquissima illarum descriptione apud Hesiod. *Θεογ.* 267. Huc respicitur haud dubie loco Statii III. Theb. 436. *vulso terrarum sordida fundo Tempestas*, quod ibi non viderunt interpretes. Cf. Sophocl. Philoctet. 1093. ubi suspectam illam lectionem *πτώκαδες* non cum *Gedikio* V. Cl. in *πλώτιδες*, sed potius in *πλώαδες* refingendam esse censuerim, quod ipsum Apollonio II, 1055, unde conjecturae suae praesidium duxit *Gedikius*, restituendum esse jam vidit *Ernestius* ad Homeri Fragm. IX. p. 108. et sic legitur nunc in novissima edit. *Brunckii.* Caeterum in antiquissima lingua *Harpyiis abripi,* quod est: *citam et violentam mortem oppetere* eadem allegoria dicitur, qua, qui in flore aetatis moriuntur, *ab Aurora rapi* dicuntur, de qua allegoria disputaverunt *Stoschius in Allegoria Homerica, qua raptus Aurorae explicatur in* Mus. Crit. Vol. I. Fascic. III. p. 293. et *Morus* in Prolusione de *causis allegoriarum* Lips. s. 1781. Adde *Dorvill.* ad Chariton., p. 356. edit. Lips. De Harpyiarum autem forma alata in numis et monumentis veterum multa collegit *Spanhemius* de P. et V. N. V. Lib. V. p. 249 sqq. adde *Lippert.* Dactylioth. I. 912, 13. *Doer.*

mirum, si mox eo devenerunt antiqui, ut equos etiam alatos illorum curribus jungerent [54]). Sic ipse currus Jovis, cui equi alati e prisco sermone poetico (ut observat *Heynius* ad Apollod. p. 85.) juncti sunt, saepissime occurrit apud veteres. In certamine cum Typhone fulmina in eum jaculatur [55]) Jupiter *ἐξαίφνης ἐξ οὐρανοῦ ἐπὶ πτηνῶν ὀχούμενος ἵππων ἅρματι* (posterior vox manifesto irrepsit e glossemate et prorsus delenda videtur) apud Apollod. 1, 6. p. 23. Eandem imaginem cum reperisset Plato, antiqui sermonis poetici studiosissimus, non dubitavit ea uti in Phaedro, in quo jam Dionysio Halicarn. (Tom. VI. p. 762 sqq. Reisk.) dictioni dithyrambicae nimium indulsisse visus est. Locus Platonis est p. 340. H. Lugd. ubi *ὁ μέγας ἐν οὐρανῷ Ζεὺς* (cum undecim deorum et daemonum ordinibus mundi extremam superficiem circumvolans) *πτηνὸν ἅρμα ἐλαύνων πρῶτος πορεύεται διακοσμῶν πάντα καὶ ἐπιμελούμενος* [56]). Hic est igitur *volucris* ille *currus*

---

[54]) Jam Homerus et Hesiodus in hac re praeiverunt fingendo alato Pegaso, quem in stabula equorum Jovis receptum fuisse canit Pindarus Olymp. XIII, 131. *Τὸν δ' ἐν Οὐλύμπῳ φάτναι Ζηνὸς ἀρχαῖαι δέκονται* et apud Hesiod. *Θεογ.* 285. *Πήγασος ἵππος — Ἵκετ' ἐς ἀθανάτους· Ζηνὸς δ' ἐν δώμασι ναίει, Βροντήν τε στεροπήν τε φέρων Διῒ μητιόεντι.* Hinc lepide apud Aristoph. *Ειρην.* 721. Pegasus ille Trygaei, e stercore natus, scarabaeus, *ὑφ' ἅρματ' ἐλθὼν Ζηνὸς ἀστραπηφορεῖ.* ***Doer.***

[55]) Jovem quadrigis vectum et fulmina in Typhonem jaculantem videre licet in ectypo gemmae. apud *Gorium* in Mus. Flor. Tom. I. 57. n. 7. Sed equi non sunt alati. Nam huc quoque pertinet, quod supra jam diximus, imagines deorum et rerum divinarum alatas multo frequentiores esse apud poetas, quam in artium operibus. Quod, si quis diligentius attendat, sexcenties animadvertere licebit in legendo Pausania vel Philostrato. ***Doer.***

[56]) Adi, qui totam hanc allegoriam exposuit, ***Meinersium*** in Sylloge variorum scriptorum philosophicorum (***vermischte philosophische Schriften*** 1. Th. p. 121) et in ***Geschichte der Wissenschaften in Griechenland und Rom.*** Vol. II. p. 792.

Horatii I. od. 34. 8. ubi *Cruquius* jam recte comparavit *πτηνὸν ἅρμα* Platonis. Sic Herculem post *ἀποθέωσιν* *quadrijugo curru radiantibus intulit astris* Jupiter apud Ovid. Metam. IX. 272. Sed veteres nondum, quos Jovi affinxerant, contenti [57]) equis alatis alas addiderunt etiam ejus fulmini. *Κεραυνὸν, πτεροφόρον Διὸς βέλος* habet Aristophanes *Ὀρνιθ.* 1711. ubi *Beckius* laudat Orph. Hymn. XVIII. Notae sunt fulminis alae e Virgilio quoque Aen. V. 316. quod passim imitati sunt poetae latini [58]). Sed redeamus ad currus sive equos alatos, quos non Jovi solum, sed omnibus omnino diis promiscue tribuerunt prisci homines, quotiescunque singularem eorum celeritatem indicare volebant [59]). Ne vero molesti simus lectoribus multorum exemplorum, quae facili negotio colligi possunt,

---

Caeterum saepissime ad hunc Platonis locum respexerunt veteres. Sensu mystico illum explicat Chrysost. orat. XXXVI. p. 448. Morell. ad quem locum vid. quae commentatus est *Kleukerus im Anhang zum Zend-Avesta* B. I. Th. II. p. 130 sqq. Eundem, quasi nimis turgidum et inflatum, salse perstringit Lucian. in Piscat. Tom. p. 592. edit. Reiz. Expressit illum etiam Apollonius apud Philostrat. in Vit. Apoll. lib. II. 22, p. 74. (ubi, quod paulo ante de nubibus varias et monstrosas centaurorum et tragelaphorum figuras referentibus dicitur, accommodari debet ad locum Aristoph. *Νεφ.* 346. quem Olearium neglexisse miror) *ζωγράφος οὖν*, inquit, *ὦ Δάμι, καταλιπὼν τὸ πτηνὸν ἅρμα, ἐφ' οὗ πορεύεται διακοσμῶν τὰ θεῖα καὶ τὰ ἀνθρώπεια κ. τ. λ.* *Olearius* ibi errat, *πτηνὸν ἅρμα* de aquila, cui Jupiter inequitet, explicans. *Doer.*

57) Valde dubito veteresne ita dici possint *equis alatis contenti* fuisse. Omnino multis erroribus occasionem praebuit haec vox. Hoc loco dicas: *veteres quibus non satis esse videbantur equi alati.*

58) Vid. *Heins.* et *Burmann.* ad Claud. de R. P. II. 228. Fulmen alatum in numo videas Agathoclis apud *Beger.* Thesaur. Brand. Tom. I. p. 279. *Doer.*

59) Sic ubi in arca Cypseli celeritatem, qua Thetis arma a Vulcano fabricata filio attulerit, declarare volebat artifex, eam cum alia Nereide bigis ab Olympo vectam repraesentavit

copia, in paucis nunc acquiescere liceat. Primum igitur in genere observandum est ex equis illis alatis, procedente tempore, cum a simplicitate prisci sermonis magis magisque degenerarent et deflecterent luxuriantes ingenio poetae, mira tandem illa jugalium portenta conformata esse, ita ut Jupiter aquilis, Juno pavonibus, Venus passerculis [60]) vel columbis vel cycnis, Ceres et alia nonnulla numina draconibus alatis [61]), Minerva noctuis, Apollo cycnis et gryphibus alatis, alii aliis veherentur animalibus. Deinde vero constat in quibusdam diis a poetis et operum fictoribus servatos esse equos alatos, praecipue in diei et noctis praesidibus, quos non solum curru, sed equis etiam alatis vectos finxerunt. Solis alipedes quadrigae omnibus ex Ovidio noti. *Πτερωτὸν ἅρμα* illi tribuitur ab Eurip. Orest. 1002. Huc pertinet ejusdem poetae fragmentum de Phaethonte apud Longin. *Π. ὕψ.* s. XV.

Τοσαῦτ' ἀκούσας (cum patris monita accepisset Phaethon,) *εἶτ' ἔμαρψεν ἡνίας,*
Κρούσας δὲ πλευρὰς πτεροφόρων ὀχημάτων [62])
Μεθῆκεν· αἱ δ' ἔπταντ' ἐπ' αἰθέρος πτυχάς.

---

apud Pausan. V. 19. cf. *Heynium Antiquarische Aufsätze* 1. St. p. 50. *Doer.*

[60]) Deminutivae formae nunc non locus est.

[61]) Notissima sunt Cereris (ut Apuleji verbis utar Met. VI. p. 234.) *famulorum draconum pinnata curricula,* quae vivis coloribus depingit Claudian. de R. P. I, 182—90. cf. Ovid. Met. V. 647. VIII. 794. et in Fastis passim. Triptolemo tribuit *δίφρον πτηνῶν δρακόντων* Apollodor. I, 5. p. 17. Ceres et Triptolemus sunt personae fictae (vid. *Heynius Opusc.* p. 353.) frugum inventionem indicantes. Hi curru alato draconum, quos comites vel nuntios fertilitatis habuerunt prisci homines, plures terrae plagas lustrarunt, h. e. inventae fruges cito per Phoenices sive alias gentes omnibus terrarum locis innotuerunt. Medea draconibus vecta ex Tragicis nota est. *Serpente fugit alite* Horat. Epod. III. 14. ubi vid. Lambin. cf. Apollodor. I, 9. p. 74. *Doer.*

[62]) *Morus* vertit haec verba: *pulsans aligeri currus latera;* sed si formam veteris currus animo concipias, hoc fieri plane

De τεθρίππῳ Solis cf. *Spanhem.* ad Callim. p. 497. edit. Ernest. Conferendus est etiam Philostr. de Vita Apollonii Tyan. lib. III, 48. p. 134. cum dicit τέθριππά τε αὐτῶν (agitur de gryphibus) ὑποζευγνύναι τοῖς ἀγάλμασι τοὺς τὸν ἥλιον ἐν Ἰνδοῖς γράφοντας. Quam barbaram imaginem adoptarunt posterioris aetatis poetae v. c. Claudian. de VI. Cons. Honor. 30. Sidon. Carm. II. 307. *De Noctis curru* et imaginibus cum eo conjunctis apud poetas egit *Heynius* ad Virgil. Aen. II. 8. 9. Excurs. II. p. 236. Sed nusquam me legere memini *alatos Noctis equos*, ipsa vero Nox saepius alata occurrit. Νὺξ ἡ μελανόπτερος Aristoph. Ὀρνιθ. 694. *Nox ruit et fuscis tellurem amplectitur alis* Aen. VIII, 369. cf. *Heyne* ad Tibull. II. 1. 89. *Aurora* contra modo ipsis solis quadrigis vecta inducitur [63] (Aen. VI, 535.), modo bigis tantum, ut apud Homerum Odyss. Ψ, 265. ubi cf. Eustathius: Ὅμηρος μὲν οὕτω ξυνωρίδα ὑποζεύγνυσι τῇ Ἠοῖ (Lampontem et Phaethontem ipsius solis bigas esse, nescio qua auctoritate tradunt Scholia ad Sophocl. Ajac. Flag. 682.), Λυκόφρων δὲ καὶ ἕτεροι μονόπωλον τὴν Ἠῶ πλάττοντες Πηγάσῳ αὐτὴν ἐποχοῦσι πτερωτῷ ἵππῳ. Lycophronis locus, ad quem respexit Eustathius, est in initio Cassandrae v. 16.

Ἠὼς μὲν αἰπὺν ἄρτι Φηγίου πάγον
Κραιπνοῖς ὑπερποτᾶτο Πηγάσου πτεροῖς,

ubi vide Tzetz. Per alios, qui μονόπωλον eam finxerint, Eustathius significasse videtur Euripidem, a quo μονόπωλος vocatur in Orest. 1004. Hinc Apulejus ortum lucis describens Met. VI. p. 240 *Aurora*, inquit, *commodum*

---

non potuisse apparet. Πτεροφόρα ὀχήματα sine dubio sunt equi alati, quos loris concussis incitare solent aurigae v. c. Aen. V, 146. *Doer.*

[63]) Cf. elegantem gemmam in *Dactylioth. Lippert.* I. 738. ubi Aurora alata inter quadrigas solis se proripit, et sic Auroram alatam cernere licet in gemma apud *Begerum* in Spicileg. antiq. p. 84. *Doer.*

inequitanti. Nimirum Aurora a recentioribus poetis saepe confusa est cum praenuntia lucis stella, Lucifero, cui proprie *ἵππος κέλης* tribuebatur. Notus est equus Luciferi ex Ovid. Met. XV, 189. Claud. de R. P. II, 121, et saepissime alibi. Deinde huic quoque currum tribuere coeperunt. vid. *Heynius* ad Tibull. I, 9. 62. et *Wernsdorfius* ad Poet. Min. T. III, p. 508 sqq. In his enim mire variant poetae.

Juvat nunc per lancem saturam [64]) quaedam addere, ubi eleganti *σωματοποιίᾳ* aliis etiam rebus alas addidere Graeci et Latini. Hic primum offertur elegantissimum illud fragmentum Theocriti e *Παιδικοῖς* in Analectis Brunckii Tom. I. p. 350.

> — — — *Νεότατα δ' ἔχην παλινάγρετον*
> *Οὐκ ἔστι· πτέρυγας γὰρ ἐπωμαδίας φορεῖ.*
> *Κἄμμες βαρδύτεροι τὰ ποτήμενα συλλαβῆν.*

Notabilis est haec imago, cum neque Hebe Graecorum, neque Juventa Romanorum in monumentis quae adhuc exstant alatae reperiantur. Caeterum versu ultimo respicit venustissimus poeta ad proverbium, quo usus est Plato in Euthyphr. c. 4. *πετόμενόν τινα διώκεις*, quod legi etiam apud Aristotelem in III. Metaph. observat Erasmus Chiliad. auctor. *Curas*, sequaces illas deas Lucretii II, 40, Horatium *alatas* finxisse (*curae laqueata circum tecta volantes* II. Od. 16. 11.) in vulgus notum. Idem jam fecit Theognis 707. edit. Brunck.

> *Φροντίδες ἀνθρώπων ἔλαχον πτερὰ ποικίλ' ἔχουσαι,*
> *Μυρόμεναι ψυχῆς εἵνεκα καὶ βιότου.*

Crimina alata finxit Euripides in fragmento Melanippes III. p. 453. Tom. II. edit. Lips.

---

[64]) Voluit *per legem saturam*, quod de variis rebus inter se permixtis dicitur. Uberrime egit de hac loquendi formula *Casaubon.* in libro de Romanorum Satira II. 4. Qui quidem liber si tibi forte non erit ad manus, verba eam rem explicantia legas apud *Kritz.* ad Sallust. Jug. 29. 5.

Δοκεῖτε πηδᾶν τἀδικήματ' εἰς θεοὺς
Πτεροῖσι, κἄπειτ' ἐν Διὸς δέλτου πτυχαῖς
Γράφειν τιν' αὐτά.

Vide *Ernest.* ad Callim. Hymn. in Cer. 57. *Plutum*, claudicantem illum et pedibus captum tenebricolam [65]), interdum tamen *alatum* fingit Lucianus in Timone c. 20. ubi de semet ipso narrat Plut.: *Ὁπόταν δὲ ἀπαλλάττεσθαι δέῃ, πτηνὸν ὄψει, πολὺ τῶν ὀρνέων ὠκύτερον.* Aliam ob causam alatus fingitur in pictura apud Philostratum in Icon. II, 27. p. 853. ubi, postquam Jovem natalibus Minervae in Rhodo insula auro pluisse narravit, addit: *ἐφέστηκε τῇ ἀκροπόλει* (sc. Rhodiorum) *ὁ Πλοῦτος· γέγραπται δὲ πτηνὸς μὲν ὡς ἐκ νεφῶν*, quo additamento declarat Plutum hac demum occasione alatum apparere, quando cum auro ex nubibus demittatur. Sic *Τύχη*, *Fortuna*, interdum alata formata est. Pluribus hoc demonstrari poterit exemplis. Unum tantum, sed venustissimum afferam e Plutarcho *de fortuna Romanorum* Tom. VII. p. 260. edit. *Reisk.* ubi Fortuna in certamine cum Virtute accurrit *οὐ πτεροῖς ἐλαφρίζουσα ἑαυτὴν κούφοις*, sed passu firmo et sedato. Cujus rationem suavissime reddit Plutarchus: *ἡ τύχη καταλιποῦσα Πέρσας καὶ Ἀσσυρίους, Μακεδονίαν μὲν ἐλαφρὰ διέπτη, καὶ ἀπεσείσατο ταχέως Ἀλέξανδρον, καὶ δι' Αἰγύπτου καὶ Συρίας περιφέρουσα βασιλείας διώδευσε, καὶ Καρχηδονίους στρεφομένη πολλάκις ἐβάστασε. Τῷ δὲ Παλατίῳ προσερχομένη καὶ διαβαίνουσα τὸν Θύμβριν (ὡς ἔοικεν) ἔθηκε τὰς πτέρυγας, ἐξέβη τῶν πεδίλων — οὕτως εἰςῆλθεν εἰς Ῥώμην, ὡς μενοῦσα.* *Spes* etiam sine dubio *alata* ficta est. Quod colligi potest ex Hesiod. Ἐργ. κ. Ἡμ. 96. ubi cum Pandora ex aperto vasculo omnis generis mala immisisset mortalibus

[65]) Non est vox latina. *Tenebrionem* Romani dixerunt quidem, sed in pejorem sensum, ut *lucifugum*. Simplicius erat *in locis tenebricosis habitantem.*

Μούνη δ' αὐτόθι Ἐλπὶς ἐν ἀῤῥήκτοισι δόμοισιν
Ἔνδον ἔμιμνε πίθου ὑπὸ χείλεσιν, οὐδὲ θύραζε
Ἐξέπτη.

Hinc *πέτεσθαι ἐλπίσιν* apud Sophocl. Oed. Tyr. 487. *Dorvill.* ad Charit. p. 407. edit. Lips. *Pudicitia alata* et a conspectu rei turpiculae (phallorum) avolans reperitur in *Winckelmanni Monument. Antichi Inediti* n. 26. p. 32. — In vestibulo domus Veneris in Claudiani epithalamio de Nuptiis Honor. et Mariae v. 83.

Et lasciva volant levibus *Periuria* pennis.

Apud Sil. Ital. XV, 97. Virtus ad Voluptatem:

Ebrietas tibi fida comes, tibi Luxus et atris
Circa te semper volitans Infamia pennis.
Mecum Honor, et Laudes, et laeto Gloria vultu
Et Decus, et niveis Victoria concolor alis.

De *Nemesi alata* Ammian. Marcell. XIV. p. 33. Lindenbr. *Pinnas idcirco illi fabulosa vetustas aptavit, ut adesse velocitate volucri cunctis aestimetur.* Locus insignis de illa apud Pausan. I, 33. p. 82. de Nemesi Rhamnusia: *Πτερὰ δ' ἔχον οὔτε τοῦτο τὸ ἄγαλμα Νεμέσεως, οὔτε ἄλλο πεποίηται τῶν ἀρχαίων. Ἐπειδὴ δὲ Σμυρναίοις τὰ ἁγιώτατα ξόανα ἔχειν πτερὰ οἶδα ὕστερον, ἐπιφαίνεσθαι γὰρ τὴν Θεὸν μάλιστα ἐπὶ τοῖς ἐρᾷν ἐθέλουσιν* [66]), *ἐπὶ τούτῳ Νεμέσει πτερὰ ὥσπερ Ἔρωτι ποιοῦσιν.* Nemesis *πτερόεσσα, τανυσίπτερος* est in hymno Misodemi, quem post Comment. Academiae Inscript. T. VII. p. 289. Amstelod. exhibet et illustrat etiam P. *Wesseling.* ad Diodor. Tom. I. p. 473. Confer. *Herder.* in *zerstreute Blätter* Tom. II. p. 218—272. et *Dorvill.* ad *Chariton.* p. 577. Lips. Sed alata est etiam *anima humana.* Anima-

[66]) Hic suspicor voculam *οὐκ* (voluit *μὴ Doer.*) excidisse ante *ἐθέλουσιν.* Nemesin enim eorum, qui amantes aspernarentur, fastum compressisse patet e multis veterum locis. Catull. XVIII. 20. Philostrat. Ep. XIX. p. 921. ad amasium superbum *ναὶ Ἔρως, ναὶ Νέμεσις ὀξεῖς θεοὶ καὶ στρεφόμενοι. Doer.*

rum alae saepius commemorantur in Platonis Symposio. Vid. *Meiners* in *vermischten Schriften* Tom. I. p. 120. *über die Natur der Seele, eine Platonische Allegorie.* Atque ex his Platonis allegoriis, quae mox omnibus mirum in modum arriserunt, λιθογλύφοι etiam et alii artifices imaginem illam animae alatae derivasse videntur. Sed cum lingua graeca ψυχαὶ etiam appellarentur papiliones (locus notabilis est apud Aristot. Histor. Anim. V, 19. p. 944. F. περιῤῥήγνυνται τὸ κέλυφος, καὶ ἐκπέτονται ἐξ αὐτῶν πτερωτὰ ζῶα, ἃς καλοῦμεν ψυχάς. cf. Plutarchi Sympos. II, 3. p. 521. Tom. VIII. edit. Reisk.) animas humanas papilionum alis instructas vel ipsa adeo papilionum specie effinxerunt. Et sic saepissime occurrunt in gemmis et anaglyphis sepulcralibus veterum, de quibus exposuit *Sponius* in Miscellan. Antiq. p. 7 sqq. Hinc orta est notissima illa Psyches fabula. Haec in monumentis nunc alas habet, nunc papilionis forma e corpore supino evolat, nunc circa ossa sepulta volitat, nunc Cupidinis face aduritur, nunc ab eodem ad arbusculum clavo figitur, quod pluribus docet *Gesnerus*, qui copiose egit de hac veterum pictorum et sculptorum fictione in *Prolusione: de animae in antiquis monumentis symbolo, papilione*, quae inserta est *Gesneri Biograph. Academ. ab Eyringio edit.* Tom. II. p. 54 sqq. Cui addas *Klotz.*: *Ueber den Nutzen und den Gebrauch der alten geschnittenen Steine*, et qui totam illam fabulam de Psyche et Cupidine, Apulejo procul dubio antiquiorem et Platonicorum allegoriis superstratam, illustravit, *Herderum* in *zerstreute Blätter* Tom. II, p. 326—340.

Atque in hoc acquiescere jam et finem imponere liceat nostrae disputationi. Multa supersunt de alis, regum capitibus affixis, de alatis Medusae, Solis et aliorum capitibus, de Sirenibus, de numis victoriatis, et id genus aliis, sed cum haec omnia *e causis historicis* explicanda sint, uberius de illis alia scribendi oblata occasione acturi sumus.

Restat, ut ipsum, quo haec a me disputata sunt, aperiam consilium. Sapienter enim et antiquo more fieri solet, ut qui scholae cuidam regendae praeesse jubentur sub ipsis muneris auspiciis partim pietatem, quam habitus sibi honor et tributum beneficium excitare debet, publice declarent, partim qualecunque doctrinae suae specimen proponant. Jam vero cum munus directoris Gymnasii illustris Gothani a *Venerandis hujus Gymnasii Ephoris* mihi demandatum ante quatuor ferme menses susceperim, equidem, ut mori a majoribus tradito diutius deessem exsequendo, committere nolui. Solemnem igitur orationem crastino die in auditorio majori hora IX. eo consilio habebo, ut Dei optimi maximi ad munus meum rite administrandum ferventissimis precibus mihi expetam auxilium atque praesidium, deinde pio animo gratias agam *principi serenissimo celsissimoque*, cujus nutu et singulari indulgentia mihi demandata est scholae regendae provincia. Cui quidem orationi ut interesse ne graventur etc. etc. ea qua decet animi pietate et observantia rogo atque oro.

V.

De coloribus veterum.

Prolusio oratiunculis in auditorio majore illustr. gymnasii Gothani 9. Oct. 1788 recitandis praemissa a Fr. G. Doering.

(Prodiit Gothae litteris Reyherianis.)

Res est quotidiano usu comprobata, vocabula rerum, quas solis sensibus percipere possumus, vix satis a nobis intelligi posse, nisi eandem rem sensibus nostris usurpare, ejusque notionem quandam animo infigere, aut certe imaginem ejus pictam vel alia quacunque ratione expressam sensibus nostris subjicere licuerit. *Huc pertinent*, ut verbis utar *Ernestii* (in Initt. Doctr. Solid. de legendis libris p. 390) *omnium rerum vocabula, quae solis sensibus, sive externis, sive internis, non autem intelligentiae et rationi subjectae sunt, fructus arborum et aliarum plantarum, arbores, plantae, animalia, flores, colores, soni, commotiones voluptatesque animi, sensus tactu in corpore concitati, et quae alia hujus generis sunt.* Hinc omnes, qui in explicandis veterum monumentis operam posuerunt, in nulla re magis laborare videmus, quam ubi ad ejusmodi vocabula, quae supra memoravimus, pervenerunt. Sic, ut hoc utar, veterum instrumentorum et universae musices ratio tantis impedita difficultatibus est, ut post operosissimas doctissimorum virorum disputationes, quid verbi causa inter lyram et citharam discriminis intercesserit, vix satis appareat, nedum ut omnis veteris musices norma et ratio dilucide declarari possit. Nec unquam haec plane ad liquidum perduci posse existimamus, nisi

novus aliquis exsurgat Cagliostrius, inclytae artis *νεκυὸμαντείας* peritus, qui Orpheum aut Timotheum aut alium quemcunque priscae aetatis citharoedum ex inferis revocatum fidibus coram nobis canere jubeat. Sic, ut aliud in re nota adjiciamus exemplum, dici non potest, quantum in explicandis florum et plantarum, quae passim apud veteres commemorantur, nominibus haesitatum sit et disceptatum a viris eruditissimis et harum rerum valde gnaris. Quamquam enim in iis eruendis et accuratius declarandis homines doctissimi vires suas periclitati sunt, tamen ne nunc quidem vix notissima florum nomina satis distingui et cum nostris comparari possunt. Nec minor difficultas nos impeditos tenet in constituendis gemmarum et lapidum apud veteres nominibus, et sic plurima alia afferri possunt harum rerum exempla. Quid mirum igitur, si in *colorum* etiam vocabulis, quae apud veteres reperiuntur, distinguendis et explicandis frustra saepe viros doctos operam posuisse, eamque rem tractatu difficilem et valde lubricam esse passim professos esse animadvertimus. Nec tantam de nobis habemus opinionem, ut rem tam vetustate quam hominum doctorum disputationibus obscuratam nos unquam studiis nostris enucleaturos esse opinemur, sed, cum diligenti eorum locorum, ubi colores apud veteres commemorantur, comparatione et observatione lux certe aliqua aliis locis rectius capiendis affundi [1]) posse videatur, non inutilem plane harum rerum studiosis operam navaturi visi sumus, si, hac scribendi oblata nobis occasione, partem

[1]) Lux alicui rei *affulget*, affertur, paratur, non *affunditur*; hae translationes, quod facile quisque videt, non coeunt. Atque haec eadem est causa, cur abstinendum sit his loquendi formulis: *lectio fundit sensum, fructum haurire, manibus aggredi, si coelum annuerit, egregia vestigia, honestus fons.* In his aliisque similibus non eam quam jure expectes cautionem atque circumspectionem adhibent vel diligentiores in scribendo homines.

eorum, quae in veterum lectione de hac re nobis observare licuit, periculi quasi faciendi causa in medium proferamus, et, si quid forte inde utilitatis capi possit, in proponendis his observationibus alio tempore pergamus.

Hoc autem primum satis constat antiquissimis temporibus cum Graecos tum Romanos multis colorum nominibus carere potuisse, quibus posterior aetas, luxuriae instrumentis in infinitum auctis, nullo modo supersedere potuit. A multiplici enim et magna illa colorum in vestibus, aedificiis et aliis operibus varietate, quam posthac summo studio sectati sunt molliores et delicatiores homines, abhorrebat austera rudium illorum hominum simplicitas. Ad colores autem rerum naturalium, quas quotidie oculis usurpabant, significandos ipsis illis earum rerum vocabulis facile utebantur. Hinc ad vestimentorum colores designandos, in quibus variandis cum Graecos tum Romanos mirum in modum recentiore tempore laborasse constat, praeter nativum illum et *αὐτοφυῆ* lanae colorem, sive album illum sive nigricantem et pullum, vix alius mentionem factam invenias apud antiquiores, quam *purpurei*. Quod quidem vel ex Homero, a quo hanc quoque rem repetere debemus, satis apparere puto, nisi nativos metallorum colores, qui passim etiam in vestibus memorantur, ut *ἀργεννὸς, ἀργύφεος*, quae de candidis vestibus dicuntur, et similia huc trahere velis. Pari modo apud Romanos, cum penularum et lacernarum variis coloribus infectarum usus nondum invaluisset, praeter *album* h. e. nativum lanae colorem in togis, *candidum* in vestibus elegantiorum hominum et candidatorum, *purpureum* in praetextis, paludamentis et veste matronarum, *pullum* denique in luctu et usu domestico vix alios colores commemoratos invenias [2]). Nec

---

[2]) *Pullus color*, cujus hic saepe mentio fit, est nigricans, fuscus in russeum vergens *(braun)*. *Pullus* nolim cum plurimis per formam dimiuntivam derivare a *purus*; refragantur enim analogia et notio vocis, qua color minime purus significatur.

minus parcus variorum colorum apud populos antiquissimos usus ex incunabulis picturae et antiquissimis ejus initiis demonstrari posse videtur. Notissimae sunt in antiquissima picturae historia picturae *μονοχρώματοι*, in quibus pingendis diu non alio colore quam *rubro* usi sunt, confecto, ut Plinius vult (N. H. XXXV, 3), e *testa trita*, post *minio* et *cinnabari* (Plin. XXXIII. c. 7), ad extremum *rubrica*. Postea demum coeptum est quatuor coloribus pingi. Homerus quidem, *circa picturas*, ut Plinii verbis utar (l. c. S. 38), *pigmentaque rarus*, vix ullius coloris praeter *minium* mentionem facit (Iliad. II, 637). Nam quod quidam *μέλανα κύανον* (Iliad. XI, 24. 39. cf. XVIII, 564) simpliciter ad colorem nigrum referre volunt, in eo

---

Magis arridet hujus vocis derivatio a graeca voce *πέλος*. (Cf. *Doederlein* Synon. Vol. V. p. 99. qui Graecorum *φολόεις* comparat.) — *Πελὸς*, *πελιὸς*, *πελιδνὸς* s. *πηλιδνὸς* a *πηλὸς* (lutum) sunt vocabula ejusdem originis, quorum ipsa etymologia docet, quem colorem significent; cf. *Vossius* ad Catull. p. 169 et 217. Hinc *πελλὰ ὄϊς* apud Theocrit. V. 99. quod vetera scholia explicant *σκοτεινὴν*, *μέλαιναν*, *πορφυρᾶν*. Cum igitur *πελὸς* sive *πελλὸς* proprie diceretur de ovibus fuscam lanam gerentibus, hinc quoque Latinorum *pullus* prima significatione de lana illa nativa, fusca et nigricante, dictus videtur. Huc pertinet observatio Nonii Grammatici: *pullus color est, quem nunc Hispanum vel nativum dicimus.* Cf. Plin. Hist. nat. VIII. 48. Sil. Ital, VIII. 599. et pleni sunt veterum libri de ovibus Baeticis, vellere fusco et subrutilo; vid. *Raminez de Prado* ad Mart. I. 97. p. 225. Hunc igitur fuscum lanae colorem adoptarunt nobiliores Romani in luctu, popellus autem in togis albis fullonum impensas fugiens ut plurimum vestibus ejusmodi lana confectis utebatur, unde nomen illud plebeculae Romanae *turba pullata*. Vid. Interpretes ad Sueton. Aug. 40. et de toto illo vestium fuscarum usu *Salmas.* ad Vopisc. Carin. 20. Tom. II. p. 863. Mature autem *pullus color* e vestibus ad alias res simili modo nigricantes transferri coeptus est. Hinc *pulla terra* apud Plinium et Columellam, *pulla myrtus* apud Horat. lib. 1. od. 25, 18. quam *nigram* vocat Ovid. A. A. III. 690. *Doer.*

multum a veritate eos aberrare facile demonstrari potest. *Κύανον* enim esse metallum, ad colorem gemmae, quae *κύανος* proprie vocatur, pridem ad illos locos docuerunt veteres interpretes [3]).

In summa igitur hac colorum apud Graecos et Romanos antiquiores penuria facile intelligi potest, quod observavit jam *Ernestius* in Archaeol. P. I. c. 5. p. 32, difficultatem saepe oriri ex ambiguitate et *πολυσημίᾳ* [4]) paucarum illarum vocum, quibus varia et multum saepe inter se diversa naturae et artium spectacula exprimere studuerunt. Exemplo sit primum color *ruber*. Patet quidem ex loco insigni, qui hac de re legitur apud Gellium N. A. II, 26, postera aetate Graecorum linguam neutiquam caruisse vocabulis hunc colorem exprimentibus, sed apud Homerum duo tantum vocabula reperiuntur hunc colorem significantia: *φοῖνιξ* cum derivatis suis, et *πορφύρεος*. — *Αἴθοψ* et *ὑακίνθινος* in hunc numerum vix referri possunt. Non est igitur, quod miremur haec vocabula, quibus solis ad diversissimas coloris *rubri* species indicandas usus est poeta princeps, vaga admodum esse et ambigua. Juvat in tironum gratiam pauca de utraque voce adspergere [5]). Quod attinet igitur ad primam illam *φοῖνιξ* cum derivatis, notatu dignum videtur, quod Homerus de colore rubro loquens eum nunquam *πορφύραν*, sed *φοίνικα* appellare soleat. Jam vero ex omnibus Homeri locis inter se col-

---

[3]) De genere et colore hujus gemmae valde dissentiunt auctores veteres. *Flavescentem* esse e genere jaspidum docet Plin. XXXVII. 9. alii ad *saphiros* eam referunt; vid. Theophrast. p. 218. de lapid. edit. Basil. Ad Homericos locos respicit etiam Plato in Phaedone c. 61. p. 461. edit. Fisch. *χρῶμα ἔχει οἷον ὁ κύανος*, ubi vide quos laudat *Fischerus*. *Doer.*

[4]) i. e. *multiplici potestate.* Vitanda sunt vocabula Graeca, ubi latina suppeditant.

[5]) *Adspergendi* vocem frequentavit D., etiam ubi minus apta esset. Constat fuisse qui aegre ferrent quod notas Livio *adsperserit* D. Dicas h. l. *disputare.*

latis recte mihi colligere videor eum per χλαῖναν φοινικόεσσαν et id genus alia nunquam illam saturato et abundanti colore *purpuram* indicare voluisse. Φοινίσσω est sanguine aliquem commaculo; descendit [6]) enim, ut observat *Salmasius* in Exercit. ad Solin. p. 935, a φοινὸς sive φόνος, quod primaria significatione notat sanguinem [7]). Est igitur φοῖνιξ *color sanguineus* (*blutroth*), quod liquido apparet ex loco Homeri Iliad. IV, 141. Nullo modo enim in hac pulcra ab Homero instituta de tincto ebore similitudine per φοίνικα, ut vulgo volunt, purpureus ille et austero nitore saturatus color, sed potius vel conchylii, h. e. purpurae dilutioris, genus [8]) vel simpliciter *rufus* intelligi debet. Plane autem adjectivo φοῖνιξ respondet Latinorum *sanguineus*. Locum Homeri enim expressit Virgilius sic: *Indum sanguineo veluti violaverit ostro Si quis ebur.* Facit huc quoque glossa Hesychii φοινικοῦν per αἱματῶδες explicantis. Ne multa, ex locis diligenter inter se comparatis apparet hoc, φοίνικα *rufum colorem* intelligendum esse. Rem conficit locus Iliad. XXIII, 454. ubi est de colore equi, quem *spadicem* vocat

[6]) Pone: *Ducitur.* Descendere hac significatione me legere non memini.

[7]) Hesych. φόνος, αἷμα. Hinc φόνον τιθέναι apud Euripidem. Quaedam dedit *Dorville* ad Charit. p. 427. edit. Lips. et quem ibi laudat *Cuper*. Observ. III, 19. qui tamen in eo errat, quod φόνον tantum translate de sanguine dici putat. *Doer.*

[8]) Dici non potest, quam saepe a V. V. D. D. confusa sint *purpura* et *conchylium*, quorum discrimen, si quis nobilissimum illum locum de *purpura* apud Plinium H. N. IX. cap. 36—41. S. 60—65. inspexerit, facile teneri potest. Color in *purpura* abundantissimus, saturatus, oneratus, quem Francogalli dicunt *couleur chargée*, in *conchyliatis*, ut ipsis Plinii verbis utar, *pallor saturitate fraudata, tantoque dilutior, quanto magis vellera esuriunt.* Hinc intelligitur versus Catulli LXIV. 49. *Tincta tegit roseo conchyli purpura fuco.* Cf. quem ibi laudavimus *Bochart.* Hieroz. IV. *Doer.*

Virgil. Georg. III, 82. Naves etiam, quas rubrica pictas *μιλτοπαρήους* vocavit, aliis locis, ut Odyss. XI, 123. et XXIII, 271, *φοινικοπαρήους* appellat. Hinc colligimus, quam falsa sit etymologia Grammaticorum, qui *φοῖνιξ* et *puniceus* a Phoenicibus sive Poenis derivatum esse contendunt, cum potius, quod alii jam observaverunt, ea Syriae pars, ubi color *φοινικόεις* (*ruber*) optime e purpura concha tingeretur, *Φοινίκη*, at Syri et Sidonis incolae, unde praestantissima purpura Syria [9]), *Φοίνικες* a veteribus Graecis appellati videantur. Sed jam videamus de voce altera, pariter de vestimentis et vestibus stragulis saepe ab Homero usurpata, *πορφύρεος*, quam quidem, ut mox demonstrabimus, satis distinxisse Homerus aliamque ei vim quam *φοινικόεντι* subjecisse videtur. Sed inopia linguae fecit deinde, ut his promiscue uteretur consuetudo hominum. Quis nescit enim *φοινικίδας* de tapetibus et chlamydibus purpuratis in universum dictas et sexcenties cum vera purpura confusas, imo cum coccino colore plane diverso commixtas esse. Et sic *puniceus* apud Romanos modo distinguitur a purpura, ut apud Lucret. II, 829: *Purpura, puniceusque color, clarissimu' multo*, modo confunditur.

---

[9]) Hinc fortasse explicandum est oraculum de Tyro insula apud Achill. Tat. II. 93. quod ex emendatione *Schraderi* ad Musaeum c. III. p. 183. ita legitur:

> *Ἔστι δέ τις νῆσος φυτώνυμον αἷμα λαχοῦσα,*
> *Ἰσθμὸν ὁμοῦ καὶ πορθμὸν ἐπ' ἠπείροιο φέρουσα*

κ. τ. λ. quod vertunt: ***Est ortum ducens plantae e cognomine terra insula.*** Sed *αἷμα* de terra interpretari absurdum. Quid, si *αἷμα* h. l. sit purpura? ***Purpuram*** sanguinem appellari notum est. Vid. ***Salmasius*** ad Script. Hist. Aug. Tom. II. p. 554. *Φυτώνυμον* autem respicit ad aliam etymologiam terrae Phoeniciae, qua nomen a palmis (*φοίνιξι*) traxisse fertur; magis tamen placet, quam supra secuti sumus. ***Doer.***

Vocem πορφύρεος vulgo derivant a πορφύρα [10]), concha illa, purpurae genitrice, et sunt, qui nomen conchae e lingua illius regionis, ubi succus ejus primum repertus esse perhibetur, Phoeniciam dico, repetendum esse putent, ut *Bochartus* et alii, de quibus egit Vossius in Etymologico. Quorum quidem ut subscribamus sententiae a nobis impetrare non possumus. Videtur enim ex usu hujus vocis Homerico satis constare verbum πορφύρειν esse vocem primariam [11]), unde reliqua formata sint et unde ipsa concha nomen suum acceperit. Πορφύρειν dicitur de mari intumescente, cum fluctus commoti et perturbati nigricant, quae quidem prima hujus verbi mihi videtur significatio. Saepius sic positum est apud Homerum. Unum locum attulisse sufficiat, Iliad. XIV, 16. Ὡς δ' ὅτε πορφύρῃ πέλαγος μέγα κύματι κωφῷ [12]). Ab hac prima potestate transfertur ad animum profunda meditatione [13]) intumescentem et in varias partes distractum, velut Iliad. XXI, 551. et Odyss. IV, 427. ubi Schol. πόρφυρε — ἐν βάθει τῆς διανοίας διενοεῖτο, καὶ ἐκινεῖτο, καὶ ἐταράσσετο (respicitur hic fortasse origo verbi, quod derivandum videtur a φύρω, h. e. ταράσσω), ὥσπερ συμβαίνει ἐπὶ τῶν ὑδάτων τὰ ἐκ βάθους κινούμενα μελαίνεσθαι. Et sic saepe apud Apollonium Rhodium diligentissimum verborum Homericorum sectatorem [14]) reperitur. Hinc patet, quid

---

[10]) Quod ab omnibus fere Grammaticis factum est. Sic Schol. ad Apoll. Rhod. II. 547. πορφύρειν λέγεται τὸ μὴ ἐξ ἐπιπολῆς, ἀλλὰ κατὰ βάθους τι μεριμνᾶν, ἀπὸ τῆς πορφύρας, τῆς ἐν βάθει τῆς θαλάσσης εὑρισκομένης. cf. Schol. ad I. 465. *Doer.*

[11]) *Nativam* cum grammaticis dicas.

[12]) De voce κωφὸς vide quae observarunt *Wesselingius* ad Diodor. Sic. III. 51. p. 219. et *Valckenar.* ad Ammon. p. 133—136. *Doer.*

[13]) *Altam* meditationem Latinos crediderim dixisse, *profundam* non item. Neque *intumescit* animus meditatione, sed *aestuat.*

[14]) Melius *custodem.* Cf. *Sen.* Ep. 95. 16. ubi grammatici vo-

sit κῦμα πορφύρεον, quod de fluctu nigricanti et in sinum curvato passim dicitur apud Homer. Il. XXI, 326. Odyss. XI, 242. quem imitatus est Luc. in Dial. Mort. t. 1. p. 321. ubi vid. *Hemsterh.* Latini quoque poetae usum Homericum secuti *purpureum* de mari et fluctibus dixerunt, quod ad ipsum purpurae colorem referre velle ridiculum est; Virg. Georg. IV, 373; Propert. II, 20. 5. ubi *fluctus purpureos* recte cum graeco comparavit *Marklandus*. Porro autem cum *purpurae color* (ut loquitur Plin. H. N. IX, c. 36. S. 60.) *sit austerus in glauco, et irascenti similis mari*, quod ob hoc ipsum *purpureum colorem* prae se ferre dicitur Ciceroni in celebrato illo de maris coloribus loco Acad. Qu. IV, 33., vox πορφύρεος jam inde ex Homeri tempore translata est ad ostrum Sarranum sive Tyrium, et concha ipsa appellata est πορφύρα [15]). Homerus igitur, qui primaevam [16]) vocis πορφύρεος potestatem nobis conservavit, non abstinuit ab altera, qua denotatur *color purpureus*, sed *austerus et nigricans*, ut vera purpura esse solet. Hinc saepe χλαῖνα πορφύρεα, ῥήγεα πορφύρεα [17]), et id genus alia; sic in-

---

cantur *latini sermonis custodes*. Nam quod quis philosophiae sectator appellatur, id alia ratione dictum esse patet.

[15]) Veram enim tingendae purpurae rationem ignorasse a principio Graeci, nec statim hanc artem a Phoenicibus, mercatoria arte eam occultantibus, edocti esse videntur. Quid mirum igitur, si Tyrio illi colori a mari nigricanti, cui similis esset, nomen indiderint? Hinc optime explicari posse videntur voces illae, eundem colorem significantes, ἁλουργὴς, ἁλουργὸς et similia, de quibus vide *Arnald.* in Animadv. p. 234 sq. Mihi quidem satis persuasum est nomina haec orta esse ab opinione rudis seculi, colorem illum in ipso mari propter similitudinem tingi arbitrantis, quae quidem, ut fieri solet, retenta etiam sunt tum, cum ratio purpurae tingendae jam ubique innotuisset. *Doer.*

[16]) Est poeticum. *Principalem significationem* veteres dicunt.

[17]) Notandum est ῥῆγος, in quo explicando multas ineptias protulerunt Grammatici, jam per se, si spectas etymon vocis, notare vestem infectam; ῥέζειν enim, ex quo derivatur, est

telligitur, quomodo poeta *cruorem* fuscum illum et nigricantem (Iliad. XVII, 361) et *mortem ipsam* (Il. V. 83) πορφύρεον dixerit. Respicitur enim ad fuscum illum et subnigrum purpurae colorem, ut bene ad Homeri locum observat *Ernestius*. Nec aliter Virgilius, Homeri vestigia legens, mortem appellavit *purpuream*. Non probabilis igitur videtur sententia *Gatakeri*, qui in Advers. Posth. c. XL. p. 847. Opp. πορφύρεον θάνατον apud Homerum simpliciter *mortem sanguinolentam* explicandum censet. Nam, ut cetera mittam, vel notus ille locus de Eride (Iliad. XVII, 551) huic explicationi repugnare videtur, ubi Eris Graecorum agmen ingreditur πορφυρέῃ νεφέλῃ πυκάσασά ἑ αὐτήν, quod profecto ad sanguineum colorem referri non potest; πορφυρέη νεφέλη est nebula caliginosa, qua tecti et circumfusi incedunt dii Homerici. Ex his, quae adhuc disputata sunt, satis patere arbitramur, quam multiplex sit et varius vocis πορφύρεος usus apud poetam principem, cujus rei causa, ut supra dictum est, a verborum colores exprimentium inopia repetenda videtur. Sed non discedere possumus ab hac voce, nisi alia quaedam de ejusdem πολυσημίᾳ apud posteriores cum Graecos tum Latinos scriptores tironum causa adjecerimus. Primum igitur in notione hujus vocis veteres scriptores terenti [18]) diligenter tenendum est *purpureum colorem*, cum aucta in immensum luxuria certatim in illo multis modis variando et adulterando laboratum esset ab hominibus [19]), saepe ita memorari, ut neque conchyliata, neque amethystina, neque

---

inficere, tingere. Hesych. ῥέγμα, βάμμα. vid. Casaubon. ad Vopisc. Aurelian. 29. Tom. II. p. 485. *Doer.*

[18]) Aliena ab h. l. vox. Nam quod ex *Martial.* afferunt VIII. 3. 4. *Teritur noster ubique liber*, et X. 4. 4. *Teritur a centurione liber*, horum locorum aliam esse rationem facile est ad intelligendum.

[19]) Digna est, quae de hac re legatur *Schurzfleischii* disputatio de *purpura varia, speciatim regia,* edita Vitebergae 1706. *Doer.*

Ianthina aut violacea, et quae sunt alia verae et sincerae purpurae nomina, sed simpliciter colores rubri, ad similitudinem purpurae quodam modo accedentes, intelligi debeant. Quod neglectum et parum ab interpretibus observatum multos in explicandis veterum scriptorum locis errores peperit. Pauca e multis, quae facile proferri possunt, exempla rem illustrabunt. Cicero in oratione pro Sext. c. 8. Pisonem, superciliosum, si diis placet, et severum consulem insectans, *vestitus erat*, inquit, *asper*, *nostra hac purpura plebeja et paene fusca.* Multa hic commenti sunt interpretes, quibus facile supersedere poterant, si purpuram de omni colore purpurae colorem aliquo modo referente dici cogitassent. Vera purpura nimio constabat, nec unquam plebeja fieri poterat. Optime hoc disci potest e fragmento Cornelii Nepotis apud Plin. IX, c. 38. S. 63 [20]). Constat autem duplici praecipue modo veteres purpuram ementitos esse, *fuco* [21]), de quo locus insignis apud Horat. Epist. I. 10. 26. ubi vid. *Torrent.* et *Wielandum* p. 168, et *sandice* [22]), quo pertinet locus Propertii II, 25. 45

[20]) Cf. *Meierotto über die Sitten und Lebensarten der Römer.* Vol. II. p. 104 in nota. *Doer.*

[21]) Cum vox *φῦκος*, *fucus*, pluribus plantis marinis communis fuerit, et referenda sit ad homonyma, multa in ea explicanda confusa sunt. *Fucus δευσοποιὸς*, de quo vide Aristot. VI. 13. p. 972. et Theophrast. Hist. Plant. IV. 7. est nostrum *Orseille, Lackmus,* ut docet *Beckmannus* in *Beiträge zur Geschichte der Erfindungen,* Vol. I. p. 334 sq. Locos e veteribus collegit et illustravit *Gesnerus* ad Quintil. XII. 10, 75. adde *Spanhem.* ad Callim. H. in Del. 189. p. 510. edit. Ernest. qui tamen nonnulla perperam confundit. — Omnia huc redeunt fuco medicata esse vellera (Horat. lib. 3. od. 5, 27), ut nobiliorem purpuram eo facilius combiberent, sed eodem etiam lanam ita tinctam esse, ut imperitum fallere posset. *Doer.*

[22]) Haec quoque vox est inter homonyma. Hesych. *Σάνδιξ, δένδρον θαμνῶδες, οὗ τὸ ἄνθος χροιὰν κόκκῳ ἐμφερῆ, ὡς Σωσίβιος, ἢ φάρμακον ἰατρικόν.* — E sandaracha rubrica admixta *(rother Ocker)* fieri sandicem docet Plin. XXXV.

(edit. Barth.) *Illaque plebejo, vel sit sandicis amictu.* Numquis igitur dubitet ejusmodi purpuram vulgarem, fuco vel sandice infectam, apud Ciceronem etiam intelligendam esse? Multum porro inter se distat purpurae et cocci color [23]), sed cum veteres omnes colores, rubore aliquo enitescentes, vocarint purpureos, coccinum etiam purpurae nomine insigniri neminem, qui ad hoc attendere volet, offendet [24]). Hinc dissensus ille [25]) explicandus est in libris sacris, ubi Christus ludibrii causa (Matth. XXVII, 28) *veste coccina* indutus fuisse narratur, quam Marcus et Joannes vocant *purpuream.* Liber profecto confici potest haud exiguae molis, si quis omnes et singulas, quas tam interpretes N. T. quam Harmoniarum auctores ad hunc dissensum tollendum attulerunt, explicationes percensere velit, et exstat singularis hac de re disputatio non indocta Casp. *Sagittarii: de veste purpurea Jesu,* Jenae 1672.

6. S. 23. Est vero pigmenti genus ex metallo *(Vermeille, Vermillon)* vid. *Heyne* ad Virgil. Eclog. IV. 45. Sed fuit etiam herba, unde color purpureo similis conficeretur, quam nostrum *Krapp* fuisse statuit *Salmas.* ad Vopisc. Aurel. c. 29. Tom. II. p. 485, cui tamen Sosibius apud Hesych. l. c. repugnare videtur. Utcunque est, apparet certe hoc vestes plebejas sandice infectas fuisse, et habuisse colorem fuscum et pullum, id quod praeter *Broukhus.* ad Propert. l. l. docuit etiam *Rubenius* de re Vestiaria I. 16. p. 98. *Doer.*

23) *Purpuram* et *coccum* multum inter se diversos colores notare docuit *Brodaeus* in Miscell. I. 8. (Lamp. Grut. Tom. II. p. 568) *Coccum* vel *coccus* (κόκκος βαφική Dioscorid. IV. 46) conficiebatur ex baccis arboris, et est nostrum *écarlate, Scharlach;* cf. I. F. Gronov. ad Plin. XXII. 2. et copiose de hac re disputantem *Salmas.* ad Solin. p. 192 sqq. *Doer.*

24) Egregie hoc docuit *Braunius* in libro variae doctrinae laudem habente, sed hodie fere neglecto *de vestitu sacerdotum* I. 14. p. 250. *Doer.*

25) Forma *dissensus* poetarum propria est et scriptorum aetate posteriorum. Antiquiores noverunt *dissensionem.* Cf. *Hand.* Lehrb. des lat. Stils p. 140.

Pluribus arrisit sententia *Rubenii* de Re Vest. II, 14. qui rem ita expedire conatur, ut dicat fuisse dibaphum, cocco primum, deinde purpura tinctum, de quo vid. Plin. IX. S. 65. Sed simplicissima ratio est, ut dudum observarunt interpretes doctissimi, si cogitas fuisse coccinum, *φοινικίδα*, solemnem sagulorum militarium colorem, quem ceteri Evangelistae simpliciter appellant *purpuram*.

Caeterum ad purpuram improprie sic [26]) dictam pertinet sine dubio etiam *πορφύρα θαλασσοειδής* apud Athenaeum XII, 3. p. 525. ut bene observavit *Wesseling*. ad Diodor. Sic. III, 8. p. 238. 25. et ob eandem causam, quod omnia, quae rufa essent, vocarentur *purpurea*, imperatorum temporibus sincera purpura *vera* dicebatur et apud Graecos *ἀληθινός*. Hinc apud Xenophont. Oecon. X. p. 56. edit. Bach. *ἐξιτήλῳ* opponitur *ἀληθινὸν χρῶμα*. cf. *Salmas*. ad Script. H. A. T. II, p. 404 et 559 sqq. — Addam aliam de purpura observationem tironibus fortasse non injucundam. Inveniuntur apud Horat. Od. IV, 1. 10. *purpurei olores*. Legitur apud Albinovanum II. 62. *purpurea sub nive terra latet*; et apud Valer. Flacc. III, 422. *purpureum sal*, ubi vide *Burmannum*. Et sane multa afferri possunt exempla, e quibus patet hoc res multas, quae, si colorem spectes, minime sint purpureae, ideo, quod vel *splendeant*, *niteant et pulchra sint*, a veteribus vocari *purpureas*; vid. *Gesner*. in Thes. s. v. *purpura* et *purpureus*. Illud enim, quod tam impenso studio sectabantur veteres in purpura praestantissima, fuit *splendor*, vel *lumen quoddam*, *in suspectu refulgens*, ut ait Plinius, h. e. quod ad solis radios prolatum miro quodam splendore enitesceret et effulgeret [27]). Atque hic est, quem *improbum*

---

[26]) Dele hanc voculam; sic ad Germanicae linguae indolem dictum. Res nota, etiam de Graeco *ὀνομάζεσθαι*.

[27]) Hinc purpurae tribuitur *lumen*, *fulmen*, *lux*, quod docuit *Dorville* ad Charit. p. 531. edit. Lips. et Graecis vocatur *λαμπρός*, ut observavit *Salmas*. ad Tertull. de Pall. p. 182. *Doer*.

vocarunt colorem, quasi nimium; vid. *Salmas.* ad Spartiani Pescenn. Nig. 6. Tom. I, p. 685.

Sed limites, quibus haec commentatio circumscripta est, hic nos subsistere, et ad telam, quam exorsi sumus, coloribus variis detexendam alio tempore redire jubent. Restat ut causam, qua ad publicandam hanc scriptionem moti sumus, breviter indicemus. Adsunt enim *egregii juvenes quatuor*, quibus e gymnasio nostro in Academiam discessuris auctores fuimus, ut doctrinam ingenio et industria in gymnasio nostro comparatam specimine quodam declararent, eoque nobilissimis bonarum litterarum statoribus et aequis aestimatoribus, quos bene multos alit nostra civitas, se commendarent. Quod quidem eo facilius ab iis impetravimus, cum satis lauta litterarum elegantiorum supellectile instructi essent, unde depromere aliquid et in pulverem et solem, quod dicitur, producere possent. Habebunt igitur crastino die orationes hoc ordine procedentes etc. etc.

Horum igitur juvenum, tam liberalis doctrinae cognitione, quam pietate, modestia et morum sanctitate insignium, audiendis oratiunculis, eo majore venia et commendatione dignis, quod ab ipsis earum argumenta inventa et proprio, quod dicitur, Marte [28]) elaborata sunt, ut interesse ne graventur etc. etc. ea, qua decet animi pietate et observantia, et nostro et juvenum nomine etiam atque etiam rogamus.

---

[28]) Quod equidem sciam solus *Ovidius* Ep. ex Pont. IV. 7. 14. *proprio Marte* dixit, pedestris sermonis scriptores ubique *suo, nostro, vestro Marte,* velut *Cic.* de Off. III. 7. 34. *hanc partem explebimus nullis adminiculis, sed, ut dicitur, nostro Marte.* Sed illud fortasse ob id ipsum, quod poeticum est, apud nostros rariora sectantes invaluit.

VI.

De laudationibus funebribus apud veteres.

Prolusio qua ad audiendas orationes in memoriam Ernesti II. ducis Gothanorum habendas invitat
Fr. G. Doering.

Prodiit Gothae litteris Reyherianis. 1804.

Ad ea, quae sapienter a veteribus instituta et sancita sunt, jure meritoque referendi esse videntur plures eorum rituum, quos in mortuis vel sepeliendis vel sepultis religiosissime antiquitus cultos et observatos esse constat. Alii ad luctum et dolorem, defunctorum [1]) causa suscipiendum, alii ad pia officia, divis manibus religiose exsolvenda, alii denique ad celebrandas et posteritati commendandas defunctorum virtutes spectabant. In horum quidem numerum referendae sunt imprimis *laudationes funebres*, de quarum apud veteres *origine*, *ratione* et *consilio* ut quaedam nunc exponerem, a tristissima illa causa, quae huic scriptioni occasionem dedit, haud alienum visum est. Jam vero cum defunctorum virtutes laudandi ratio [2]) in-

---

[1]) Hoc loco praestat *mortuorum*. *Defunctus* enim hac significatione absolute positum est argenteae aetatis; concedendum tamen videtur oratoribus, ubi assurgit oratio.

[2]) *Virtutes laudandi ratio* est una ex iis circumlocutionibus, in quibus mirifice sibi placuit D. Simplicius veteres *mortuorum laudationes* dicunt. Sic pro *vitae ratione* plerumque *vitam* ponunt. Prae aliis observa *sentiendi agendique rationem*, quod Doeringio usitatissimum veterum auctoritate prorsus destitutum est.

genio humano et naturae ita accommodata sit, ut jam antiquissimis temporibus sponte in eam incidisse videantur homines, profecto non tempus, quo laudationes funebres inventae sint, sed tantum quo prima earum apud veteres mentio fiat, constitui et indicari potest. Fuerunt tamen plures, qui vel Graecis vel Romanis *laudationum funebrium* inventionem ambitiose vindicarent. Quod quidem ad Graecos attinet, exemplum orationis funebris (*λόγου ἐπιταφίου*), ad quam in laudes militum, qui in bello Peloponnesiaco caesi fuerant, habendam a civitate Atheniensi delectus fuerat Pericles, memoriae prodidit Thucydides II. 35. sqq. Et sic virtutes militum in bello occisorum solemnibus orationibus celebrarunt Lysias [3]), Demosthenes, Hyperides, Gorgias, Aspasia et alii [4]). Apud Graecos enim laudationes funebres ad gloriosissima militibus qui pro patria in bello fortiter occubuissent decernenda praemia referebantur. Hinc Diodor Sicul. XI. 33: *Ὁμοίως δὲ καὶ ὁ τῶν Ἀθηναίων δῆμος ἐκόσμησε τοὺς τάφους τῶν ἐν τῷ Περσικῷ πολέμῳ τελευτησάντων, — καὶ νόμον* [5]) *ἔθηκε, λέγειν ἐγκώμιον τοῖς δημοσίᾳ θαπτομένοις τοὺς προαιρεθέντας τῶν ῥητόρων·* et Plato in Menexen. p. 275. edit. Bipont.: *καὶ μὴν, ὦ Μενέξενε, πολλαχοῦ κινδυνεύει καλὸν εἶναι τὸ ἐν πολέμῳ ἀποθνήσκειν· καὶ γὰρ ταφῆς καλῆς τε καὶ μεγαλοπρεποῦς τυγχάνει, καὶ ἐὰν πένης τις ὢν τελευτήσῃ, καὶ ἐπαίνου αὖ ἔτυχεν.* Eligebantur autem, ut ex eodem loco discimus, publica autoritate ad has laudationes peragendas homines disertissimi; Socrati enim ex Menexeno, e foro et senatu veniente, quid ei ibi

[3]) Lysiae *λόγον ἐπιτάφιον* in patrium sermonem transtulit, et tam de hujus quam de aliarum funebrium laudationum apud Graecos ingenio disputavit *Fridericus Schlegelius* in *Mus. Attic.* Tom. I. P. 1. p. 215 sqq. *Doer.*

[4]) Copulam in his omittendam esse hodie vel tironibus notum.

[5]) Vid. jam a *Wesselingio* ad h. l. laudatum *Petitum* ad Leg. Attic. L. VI. Tit. 8. p. 521. *Doer.*

negotii fuerit, quaerenti respondet Menexenus: *νῦν μέντοι ἀφικόμην πρὸς τὸ βουλευτήριον, πυθόμενος ὅτι ἡ βουλὴ μέλλει αἱρεῖσθαι, ὅςτις ἐρεῖ ἐπὶ τοῖς ἀποθανοῦσι. Ταφὰς γὰρ οἶσθ' ὅτι μέλλουσι ποιεῖν.* Apud Thucydidem l. l. vir a civibus ad orationem funebrem dicendam eligendus describitur sic: *ὃς ἂν γνώμῃ τε δοκῇ μὴ ἀξύνετος εἶναι.* Hinc Cicero de Legg. II. 26. ubi de legibus, quibus sumtuosa funera vetantur, agit, *nec de mortui laude,* inquit, *nisi in publicis sepulturis, nec ab alio, nisi qui publice ad eam rem constitutus esset, dici licebat.* Apud Romanos quidem non milites tantum in bello interfecti, sed quicunque vel in pace vel in bello de patria sua egregie meruerant, digni, quorum funus solemni laudatione cohonestaretur, habiti sunt. At quod Dionysius Halicarnass. V. p. 219. (edit. Sylb.) orationis funebris, a Valerio in Bruti honorem habitae, exemplo operose probare studet, morem illum mortuorum virtutes orationibus publicis celebrandi, antequam ille apud Graecos vigere coepisset, jam a Romanis usurpatum et introductum fuisse, argumentis iis saltem, quae ibi proposuit, nemini facile persuadebit. Nam uti in infinitis aliis, ita in hac quoque [6]) re Graecos Romani imitati videntur, nec dubitari potest, quin apud Graecos longe ante Valerii aetatem mortuorum laudatores exstiterint, quamvis nullum eorum exstet vestigium. Hinc Plutarchus in Vita Poplicolae c. 9. ubi ejus laudationem Graecorum funebribus orationibus vetustiorem haberi refert, recte addit: *εἴγε μὴ καὶ τοῦτο Σόλωνός ἐστιν, ὡς Ἀναξιμένης ὁ ῥήτωρ ἱστόρηκεν.*

---

6) Illud *quoque* hoc saltem loco bene se habet. Sed teneant tirones saepissime recentiores scriptores, nostri scilicet et graeci sermonis consuetudinem sequutos, ubi praecessit *quemadmodum* s. *quomodo,* alteri membro addere solere *etiam* s. *et,* quod tum demum recte fit, quum majus aliquid aut gravius subsequitur. Legant *Kühneri* observata ad *Cic.* Tuscul. III. 18. 37.

Oratoris partes, quae apud Graecos in funeribus occisorum militum, ut supra monuimus, delegari solebant viris spectatissimis et eloquentissimis, suscipere apud Romanos debebant (ut Dionys. Hal. l. l. et Polyb. VI. 53. tradunt) vel mortuorum filii, (uti v. c. Tiberius, novem annos natus, patrem defunctum pro rostris laudasse dicitur apud Sueton. Tib. c. 6) vel consanguinitate illis conjunctissimi. Quibus tamen deficientibus id munus aliis quoque viris eloquentia imprimis et nobilitate conspicuis demandatum fuisse, plura quae passim commemorantur exempla docent. Sic apud Plin. Epist. II. 1. de L. Verginio Rufo: *Laudatus est a consule Cornelio Tacito; nam hic supremus felicitati ejus cumulus accessit.*

Imo, ut testatur Quinctilianus III. 7. 1. ex senatus auctoritate, qui mortuorum laudes publice enarrarent, constituti sunt. — Apud Athenienses quidem laudes caesorum militum in ipso publico monumento, ubi eorum ossa condebantur, perorari solebant, quod fuit, ut narrat Thucydides l. d., ἐπὶ τοῦ καλλίστου προαστείου τῆς πόλεως h. e. in Ceramico extra urbem; sed apud Romanos in foro pro rostris, ubi Brutum quoque a Valerio laudatum perhibet Dionys. l. l. Locus insignis de hac re, ubi de omni funerum pompa accuratius exponitur, est apud Plutarch. in Vit. Poplicol. c. 53.

Si consilium, quo laudationes funebres institutae sint, spectamus, illud saluberrimum fuisse facile apparet. Nam cum nihil magis graviusque ad virtutis studium hominum animos excitare atque accendere soleat, quam honos, qui virtuti statuitur, vel praemia eum, qui virtutis specimina [7])

---

[7]) Scribendum *documenta*. Nam, quod pauci recentiorum scriptorum novisse videntur, substantivi *specimen* pluralem non agnoscunt veteres. Cujus rei causa posita est in eo quod specimen significat perfectam rei formam s. optimam et perfectam rei speciem. Primus quod equidem sciam hoc observavit *Klotzius* ad Cic. Tuscul. I. 15. 32. Idem ob-

edidit, manentia, profecto fieri non potuit, quin multorum animi per laudationes funebres virtutis studio inflammarentur et ad eos, qui laudati essent, imitandos vehementius impellerentur. Quod quidem maxime efficere debuerunt Atheniensium laudationes funebres (λόγοι ἐπιτάφιοι), in quibus omnia ita instructa et comparata sunt, ut occisorum laudes occasionem ad patriae amorem uberius commendandum ut plurimum dedisse videantur. Apud Romanos vero idem consilium pauciores illae laudationes, quae in memorandis et extollendis nobilissimorum hominum virtutibus versabantur, assequi debuerunt. Nam cum vulgariores fieri [8] coepissent et iis quoque hominibus, qui nihil memoratu dignum patravissent, concessae fuissent, oratores nihil, quod laudarent, habentes adulatorum personam induere et ficta pro veris vendere cogebantur. Hinc Cicero, postquam in Bruto c. 16. de laudationum funebrium, quam illae in gentium accuratiorem cognitionem et historiam habeant, utilitate egit, temperare sibi non potest, quin addat: ***Quamquam his laudationibus historia rerum nostrarum est facta mendosior. Multa enim scripta sunt in iis, quae facta non sunt, falsi triumphi, plures consulatus*** etc. Nec Livius VIII. 40. s. fin. *memoriam laudationibus*

tinet in substantivo *regula,* quod, quum eam potestatem habeat, ut sit norma ad quam quid dirigatur, pluralem numerum non admittit. Falsum igitur quod hodie a plurimis frequentatur *regulae grammaticae,* cujus loco dicendum praecepta artis grammaticae.

8) Plura sunt quae in his verbis male me habent. Primum enim adject. *vulgaris* gradus non admittit. Formam comparativi *vulgarior* ex uno quidem *Livii* XXV. 17. 4. loco afferunt, sed in melioribus editionibus, velut Drakenb., ibi jam legitur *vulgatior,* quod unice verum. Cf. quae de his adjectivis supra observavi ad Prolus. IV. Deinde *vulgare aliquid fit* non magis placet quam *probabile fit,* cujus formulae certum exemplum nondum reperire potui. Scripserim: *nam quum hac consuetudine abuti coepissent et ... concessissent.*

funebribus vitiatam esse affirmare dubitat. Scilicet omnis laudationum funebrium utilitas perit et tollitur, si vano studio vulgarium quoque hominum honori per eas consulere conamur; at si mortui laudantur ii, quorum virtutes, quibus in vita exsplenduerunt, omnium animos summa admiratione et veneratione implere et percellere debent, tum haud scio an *laudationes funebres* pro efficacissimo ad virtutis studium incitamento haberi possint.

Ad hanc brevem de *laudationibus funebribus* apud veteres commentationem res ipsa me duxit. Gymnasium enim nostrum a. d. IX. Jun. eo consilio in auditorio majore hora decima conventurum est, ut memoriam *Optimi Principis*, tristissima morte populo suo nuper erepti,

ERNESTI SECUNDI

Ducis Saxoniae Serenissimi etc. etc., non funebri quidem omnium ejus virtutum laudatione, cui plane impar est, sed pia recordatione summorum illorum beneficiorum, quibus omnem suum, quo nunc gaudet, honorem debet, celebrandam recolendamque sibi sumat. Faciam id equidem ipse gymnasii nostri nomine *oratione latina*, collega vero conjunctissimus, *Fried. Jacobs*, patrio sermone. Ad quas orationes audiendas ut *civitatis nostrae proceres* etc. etc. frequenter adesse et pio luctui de *Divo Principe*, cujus *funus* (quod Tacitus Annal. II. 73. de Germanici funere scribit) *sine imaginibus et pompa per laudes et memoriam virtutum celebre fuit*, una nobiscum vacare velint, obnixe et decenter rogamus.

VII.

De Horatii octo versuum integritate praeter rem in suspicionem vocata [1]).

Ad memoriam tristissima morte populo suo nuper erepti serenissimi Saxoniae ducis Aemilii Leopoldi Augusti 4. Jul. 1822. summa pietate in gymnasio celebrandam ea qua decet verecundia invitat Fr. G. Doering.

Gothae, litteris Reyherianis.

Horatius, postquam Satiras primi libri evulgaverat, irritatis eorum, quorum vitia ibi perstrinxit, contra se animis,

[1]) Quae in hac prolusione de octo illorum versuum integritate disputavit, eorum summam in editione Horatii repetiit. Quamquam in reliquis Doeringii scriptionibus, quas hoc volumine edendas curavi, rerum ab ipso tractatarum non eam habui rationem, ut aut meum ipse judicium interponerem, aut quae nostra aetate de iisdem rebus rectius dicta essent, adjicerem, hoc tamen loco silentio praetermittere nolui non ita multis sententiam suam probavisse Doeringium. Gravem quidem adversarium, sed eundem de se admodum benigne judicantem nactus est *Eichstadium*, qui dissertatione 1822 edita, tum supplemento ejusdem dissertationis 1824 evulgato, contrarium evicisse videtur et argumentorum pondere ac gravitate et disserendi quo valet acumine. Nuperrime eandem rem denuo in disceptationem vocavit atque ita ab omni parte consideravit *Fr. Jacobsius* (in Vermischten Schriften Tom. V. p. 225 sqq.) ut toti huic quaestioni jam satisfactum esse videatur. Doeringii igitur prolusionem quod hic denuo litteris describi jussi, eo feci consilio, ne quid in hac opusculorum collectione desideraretur, quod ad illius controversiae statum accuratius cognoscendum facere videretur; lectores vero ut et Eichstadii et Jacobsii libros evolvant, rogatos esse volumus.

veritatem, quod Terentius ait, *odium parere* experientia edoctus est. Extiterunt enim plures, qui, quod ab Horatio se notatos et risui aliorum expositos intelligerent, petulantius in eum inveherentur ejusque studia maledico dente roderent [2]). Sed fuerunt quoque, qui contra Horatium non ad se, sed ad alios, quorum vitia liberius ille et facetius derisit, defendendos minacius exsurgerent. In horum numero fuerunt ii, qui Horatium in Satira quarta iniquius et arrogantius de Lucilio judicasse dictitarent. Ibi enim Horatius de Lucilio inde a versu 6. sic:

Hinc omnis pendet Lucilius; hosce secutus,
Mutatis tantum pedibus numerisque, facetus,
Emunctae naris, durus componere versus.
Nam fuit hoc vitiosus: in hora saepe ducentos,
Ut magnum, versus dictabat stans pede in uno.
Cum flueret lutulentus, erat, quod tollere [3]) velles;
Garrulus atque piger scribendi ferre laborem,
Scribendi recte; nam, ut multum, nil moror. Ecce etc.

---

[2]) *Cic.* Balb. 26. dicit *dente non inimico, sed maledico carpere,* quod vel propterea hic quoque praetulerim, quod *studia* non apte *rodi* dicuntur.

[3]) *Tollere* non recte *Heindorfius* explicat: servare; haec enim explicatio tam rei, quam usui loquendi repugnat; imo *tollere* est: e medio tollere, delere, recidere; et sic infr. Sat. X. 51. ubi poeta hunc locum repetit:

At dixi fluere hunc lutulentum, saepe ferentem
Plura quidem tollenda relinquendis etc.

h. e. plura secum trahentem, quae recidenda magis, quam servanda sint. In eadem Satira v. 69. pro *tollere* Horatius de Lucilio in simili re dixit *recidere:*

— — — recideret omne, quod ultra
Perfectum traheretur.

Simillime autem Horatius *tollere* pro: recidere vel delere in Epist. II. 2. 113.

— — — virtute carentia tollet,

h. e. inelegantia recidet; cf. *Wolfius Analect. Litter.* Vol. I. a pag. 185. usque ad pag. 205. *Doer.* (Adde *Fr. Jacobs.* in Vermischten Schriften Tom. V. p. 242 sqq.)

Hoc igitur Horatii de versibus Lucilii judicium, aequum sane et veritati consentaneum, quantam quidem ex reliquiis Lucilii intelligitur, cum ab ejus adversariis habitum esset iniquum et a veritate alienum, poeta, ad motum malevoli animi suspicionem a se avertendam et ad latam in Satira quarta de Lucilio sententiam magis confirmandam muniendamque, novem editis Satiris adjecit decimam, cui in editione *Gesneri*, deinde in aliis editt. recentioribus octo versus praefixi sunt hi:

Lucili, quam sis mendosus, teste Catone [4]),
Defensore tuo, perviucam, qui male factos
Emendare parat versus. Hoc lenius ille,
Quo melior vir adest; longe subtilior illo,
Qui multum puer est loris et funibus udis
Exhortatus [5]), ut esset, opem qui ferre poetis

[4]) *Catone:* intelligunt *Catonem Valerium*, nobilem Horatii aetatate grammaticum; vid. *Suet. de Grammat.* c. III. *Doer.*

[5]) Pro *exhortatus* dedit *Heindorfius: exoratus*, hac receptae lectionis addita commendatione: "*So die Berliner Handschrift, wie schon Lambin edirt hat für* exhortatus. *Denn wenn auch dies in passiver Bedeutung nicht sprachwidrig ist (S. Vechner. Hellenolex. 1. 1. p. 115. edit. Heus.), so ist doch* exoratus *weit launiger. Hülfe jemand zu leisten, wird man gewöhnlich erfleht; wie schön (?) also hier* exoratus *bey den Schlägen, die der plumpe Mann als Schüler bekommen, um ihm die Gelehrsamkeit einzubläuen, deren er sich nun bedient, den Lucilius zu vertheidigen. Schlecht (?) ist die Aenderung* exornatus *nach Terent. Heaut. V. 1. 78, wo einmal in Scherz* adeo exornatum dabo, adeo depexum f. probe verberatum *gesagt wird.*" — At ego, si omnino repudianda sit lectio *exhortatus*, longe praetulerim *exornatus*. Jocose sane Terentius dixit *exornatum aliquem dare* sc. verberibus, pro: verberare, sed Horatius quoque *Heindorfio* jocose *(launig)* dixisse videtur: *loris et funibus aliquem exorare;* jocosa autem locutio, quae Terentii exemplo confirmatur, praeferenda videtur ei, cujus nullum plane exemplum exstat. Mihi quidem pro *exhortatus* in mentem veniebat: *expugnatus;* sed nihil mutandum, bene se habet lectio *exhortatus. Doer.*

Antiquis posset contra fastidia nostra,
Grammaticorum equitum [6]) doctissimus. Ut redeam illuc,
Nempe incomposito dixi etc.

Hi versus autem in iis, in quibus exhibentur, editionibus ideo diversa litterarum forma excusi sunt, quia, utrum Horatius eorum auctor fuerit, nec ne, adhuc sub judice lis est. Neque ego is sum, qui hanc litem dirimere velim aut possim; rationes tamen afferam, ex quibus versus illi non sine magna probabilitate Horatio vindicandi esse videantur.

Primum, quod longe est gravissimum, versuum illorum vetustatem plurium veterum librorum, tam manu scriptorum, quam typis excusorum, probat auctoritas; non solum enim in editionibus antiquissimis, in editione principe bibliothecae Vaticanae, in altera Mediol. 1486. in Aldin. 1501. Junt. 1503. Argent. 1514. proferuntur, sed iidem exstant in pluribus apud *Feam* codicibus, quos ille his litteris designavit: V. A. G. J. Vr. C. D. F. K. Vp. A. D. F. a. Z. M. An. A. a. Z. M. Ba. B. Va. A. Hinc recte hos versus jam *Vossius de poet. Lat.* p. 9. valde antiquos appellat.

Deinde in his versibus nihil omnino reperitur, quod ab aureae aetatis latinitate et ingenio recedat; imo non solum sententia in iis expressa toti carmini, ut paulo post ostendemus, egregie respondet, sed etiam scribendi genus Horatium spirat atque prodit.

Denique particula *Nempe*, qua, octo de quibus dispu-

---

6) *Grammat. equit. doctiss.* Inter equites Romanos pauci tantum tam severam in bonarum litterarum studiis posuisse videntur operam, ut *grammatici* (h. e. viri recondita doctrina instructi) nomine se dignos redderent. *Eques* igitur ille (cujus nomen poeta reticuit), qui Lucilium ab Horatii reprehensionibus defendere et purgare conabatur, lepida irrisione ab Horatio *equitum grammaticorum* (doctorum) *doctissimus* appellatur. *Doer.*

tamus rejectis versibus, Satira decima incipit, necessario ad aliquid, quod praemissum sit, referri debet. Nam quis tandem poeta unquam tam abrupte carmen aliquod exorsus est? Suppleri certe ad *Nempe* debent haec: Plures mihi irascuntur de eo, quod dixi de vitiis Lucilii; *Nempe dixi* etc. sed hoc ipsum, quod suppleri debet, elegante circumscriptione [7]) et amplificatione inest in octo illis versibus. Sententiarum nexus mihi esse videtur hic:

„Lucilium poetam mendosum esse, vel inde probabo, quod Cato, Lucilii defensor, malos ab eo factos versus emendare parat; qui quidem, quo vir est melior, eo lenius et indulgentius de malis Lucilii carminibus judicat; est autem Cato judex in hac re multo subtilior illo equite, qui loris et funibus (h. e. vi) adactus est ad doctrinae studia, ut evaderet grammaticus, qui antiquos poetas contra eorum reprehensores defenderet. Sed ut redeam *illuc*, scilicet ad poetam mendosum Lucilium,

Nempe incomposito dixi pede currere versus
Lucili, quis tam Lucili fautor inepte est [8]),
Ut non hoc fateatur?

Ex his igitur allatis rationibus versus illos, vel ab homine, qui eorum sententiam et contextum non caperet, ejectos, vel casu aliquo omissos, vel data opera ab Horatii amicis equitis illius derisi causa deletos, dignos, qui in sedem, qua pulsi sunt, postliminio redeant, equidem arbitror. Nec ego sum primus, qui versus illos Horatio tribuendos esse contendam; jam Aldus in iis Horatii et ingenium et scribendi genus agnovit, et *J. Fr. Heusingerus* in peculiari libello (cujus legendi mihi non facta est copia)

---

[7]) Ex veterum usu *circumlocutione* dicendum vel *circuitione; circumscriptio* aliud quid significat.

[8]) *Inepte est,* quis Lucilii fautor tam inepto modo est; sed hoc durum et vix latinum. An scripsit fortasse Horatius:

— — — quis tam Lucili fautor *ineptus,*
Ut non hoc fateatur? *Doer.*

egit *de versibus Horatianis, quibus eques importunus Lucilii defensor facete reprehenditur, causa parum manifesta ab Horatio abjudicatis. Wolfenb.* 1759. — Itaque *J. M. Gesnerus*, cum idem his, de quibus loquor, versibus justum pretium statueret, rectissime fecisse videtur, quod eos, primum a *Landino* in *Edit. Flor.* 1482 e textu in subjectas animadversiones relegatos, deinde a ceteris editoribus vel in annotationibus tantum commemoratos, vel silentio plane, ut a *Bentlejo*, praetermissos, ex tenebris in lucem protraxit, et in limine Satirae decimae veterem sedem repetere jussit. Nec tamen post *Gesnerum* defuerunt, qui de integro versibus illis bellum indicerent. Jam ante *Gesnerum* paulo inconsideratius de iis *Lambinus*, vir alioquin doctissimus, scripsit sic: *Hos versus si quis non videt non esse Horatianos, in his litteris parum videt;* sed nemo post *Gesnerum* de iisdem humilius et abjectius sensit [9]), quam *Nitschius*, his verbis in *Observ.* ad Horat. Sat. I. 10. T. N. p. 569. usus: *Noch aber müssen wir eines poetischen Flicklappens erwähnen, welcher dieser Satyre schon seit den ältesten Editionen, und, wie die Ausleger behaupten, in den Codicibus selbst angehängt worden ist.* Hoc perfecto est levius et protervius agere in rebus quae vetustate sua commendantur. At *Fea* ad Sat. I. 10. subtiliore sensu ductus observavit haec: *Octo versus, quos praefixos habet haec satyra, an Horatii vere sint, dubium; convenit tamen inter omnes emunctae naris criticos,*

---

[9]) *Humiliter sentire* est hominis qui illiberalem habet animum. Quid igitur *humiliter sentire* h. l. sibi vult? Deinde quis unquam dixit *humiliter sentire de re?* Denique num voces *abjecte sentire* usquam conjunguntur? Abjecte agit, facit aliquis, sed idem non abjecte sentit. Sed id accidere solet hominibus doctis, ut, dum elegantiam quandam captare sibi videntur, in dumeta delabantur. Ante pedes erat *contemtim loqui.*

praeter Lambinum, antiquitatem eos sapere, atque Horatianum stylum redolere. Idcirco nos quoque cum Gesnero hic adjiciendos eos putavimus. In hanc *Feae* sententiam, quod ad antiquitatem illorum versuum attinet, conspirat [10]) *Heindorfius* quoque, scribens in argumenti Satyrae decimae expositione haec: *Daſs jedoch diese Verse, die man durchaus von der folgenden Satyre gesondert betrachten muſs, sehr alt sind, lehrt ihre Farbe, eine ganz andere, als in jenem Eingang der Aeneis:* Ille ego, qui quondam etc. *Hier ist eine persönliche Satyre auf Zeitgenossen; eine sanfte auf den Cato, der als Vertheidiger des Lucilius, indem er seine Gedichte ausfeilte, erst recht aufmerksam auf die Fehler des alten Satyrikers machte, und eine derbe auf einen dickfelligen Grammatiker, den nur die Peitschenhiebe in der Schule zum Grammatiker und Vertheidiger der ältern Dichter gebildet hatten. Wie diese Verse keinesweges geistlos sind, so sind sie auch von Seiten der Sprache des Horaz vollkommen würdig; ja die Erwähnung des Cato, als eines noch lebenden,* qui emendare parat versus Lucilii, *deutet an, daſs sie aus dem Zeitalter unsers Dichters sind.*

Sed idem de nexu, (quo, ut supra probare studuimus, octo illi versus bene mihi cum *Nempe incomposito* etc. cohaerere videntur) valde laborat, et difficultates, quibus se premi ait, his verbis exponit: *Daſs der in diesen Versen angestimmte Ton nicht zu dem folgenden* Nempe incomposito *paſst, daſs sie überhaupt mit der folgenden Satyre nicht aus einem Stück sind, fühlt man leicht. Welcher Fortschritt: « Wie voll Fehler deine Gedichte sind, Lucilius, will ich durch das Zeugniſs Cato's*

[10]) Scribe *idem sensit cum Fea Heindorf.* Nam quod legitur *conspirare in sententiam,* hoc nullo pacto ferendum. *In* aliquem s. aliquid conspirare ubi legitur, nihil aliud significat nisi *adversus* quem vel *ad* quid efficiendum conspirare.

beweisen, der sie überarbeitet, und dir damit auf eine glimpflichere Art zu Hülfe kommt, als jener Grammatiker, der in seiner Jugend durch die Peitsche angehalten wurde, ein Verehrer und Vertheidiger unsrer alten Dichter zu werden. Doch, um wieder auf jenes zurück zu kommen (worauf?) [11]*, das habe ich doch wohl gesagt, daſs Lucilius Verse in ungeordnetem Rhythmus laufen. Wer wäre für ihn so thöricht eingenommen, dies nicht zu gestehen? Aber indem ich ihn von dieser Seite tadelte, habe ich seinem Geist und Witz Gerechtigkeit widerfahren lassen. Nur kann ich an ihm nicht alle Vollkommenheit eines vollendeten Dichters erkennen.» Wozu dieser satyrische Eingang auf andere Personen, wo die Absicht des Horaz war, sich mit Ernst zu rechtfertigen wegen seines über Lucilius in der vierten Satyre ausgesprochenen Urtheils?* etc.

Sed a re jucunda (non enim sine jucunditate tractari potest Horatius, in cujus Satyris et Epistolis edendis nunc cum maxime versor) transeundum est ad rem longe tristissimam. Nos omnes, qui in terra Gothana degimus, nos omnes nunc summo dolore perculsi quaerimus, sed frustra quaerimus, nimis matura morte ex oculis nostris sublatum *Optimum Patrem Patriae, Serenissimum Saxoniae Ducem, Aemilium Leopoldum Augustum,* cujus heu! nimis fragili vita nitebatur salus publica. Quo majora enim et graviora illa sunt, quae *Celsissimi Principis* morte perdidimus, eo major et gravior de perditis illis bonis dolor esse debet. Nemini autem hic dolor acerbior accidere potuit, quam gymnasio nostro, quod quantum immor-

---

[11]) Ad Lucilium, quem mendosum poetam in primo statim versu Horatius appellat. *Doer.*

taliter de se merito principi debeat, verbis exprimere et edisserere nequit. Nos tamen, Gymnasii tam doctores, quam discipuli, conveniamus crastino die in auditorio majore, et si non orationibus disertis atque elegantibus, pio tamen gratoque animo veneremur *Principem*, cujus memoriam nulla unquam in gymnasio nostro oblitterabit oblivio. Vos igitur, etc. etc., ut indictam solemnitatem praesentia vestra ornare et celebrem reddere, et mihi quidem latine, viro clarissimo vero, Professori *Kriesio* germanice de virtutibus, quibus immortalitati se consecravit [12]) beatissime defunctus *Princeps Augustus*, dicturis faciles aures praebere velitis, obnixe et decenter rogatos habemus.

[12]) Qui meus est latinitatis sensus, dici non potest aliquis *virtutibus se consecrare immortalitati;* sed *virtutes aliquem ad immortalitatis memoriam consecrant* s. *virtutibus memoria nominis alicujus consecratur.*

VIII.

Aliquot Virgilii loci ex Eclogis emendantur, explicantur.

Ad memoriam illustris Gymnasii Gothani ante trecentos annos auspiciis faustissimis Ducum Saxoniae Serenissimorum et Celsissimorum Friderici Sapientis et Joannis Constantis conditi pia mente recolendam, propagandam et orationibus habendis celebrandam omnes qui huic bonarum litterarum officinae favent decenter invitat
Fr. G. Doering.

Gothae, litteris Engelhardo-Reyherianis 1824.

Quod Terentius ait, *in lucro deputandum esse, quicquid praeter spem evenit*, id, dum haec scribo, apud me quoque locum habere non sine magna animi laetitia sentio. Nam cum abhinc triginta et novem ferme annos directoris gymnasii Gothani munus adirem et, quam arctis vita humana circumscripta sit finibus, mecum reputarem, me muneri mihi demandato usque ad hoc tempus, quo Gymnasii Gothani saecularia indicenda forent, superfuturum et praefuturum esse vix sperare poteram. Quo magis igitur de hac insperata, quae mihi cecidit, sorte laetor et juveniliter exsulto, eo majore animi alacritate nunc partes praeconis ago et dies festos, quibus laetiores et jucundiores haud illucescere possunt Gymnasio nostro, solemni more indico atque praenuntio. Ante omnia autem, ne in instituenda et adornanda horum dierum solemnitate [1]) su-

---

[1]) Est vox posterioris aetatis.

perasse nos videretur majorum nostrorum pietas, monumenta, quae de illa exstarent, studiose perquisivi et depromta ex bibliotheca scholastica perlustravi. Juvit sane legere de omni apparatu, de ceremoniis, de celebritate, de pompa et de communi omnium laetitia, qua saecularia gymnasii Gothani ante hos centum annos peracta sunt; juvit animum advertere ad narrationem de nummis, in memoriam hujus solemnitatis cusis [2]); juvit cognoscere, quam vere paterno

[2]) De his nummis gymnasii qui tum rectoris munere fungebatur *Vockerodtus* in programmate latine nec ineleganter scripto narrat haec: Ad remunerandos omnes, et singulos alumnos, cum strena, quae quotannis tenerioribus et egentioribus impertiri solet, in hos dies incidens sufficere non visa esset, insignita hujus solemnitatis memoria peculiares nummos fabrefieri clementissime imperavit *Fridericus secundus*. Praesto est Gothanorum protomistarum clarissimorum biga: fervet eorum industria in sculpendis typis ad formam propositam. Minoris nummi facies una exhibet *serenissimi patris patriae* imaginem: altera haec verba *Ill. gymnasii Gothani secularia altera celebrata 21. Decembr. 1724.* Majoris nummi prima facies repraesentat renovatum ex instituto *Ernestino* per filium, *Fridericum I.*, Augustinianum templum, et coenobium, *Fridericianae* scholae domicilium: in quorum fastigiis *veritatis*, et *pietatis* imagines expressae visuntur, argumentum praecipuum voti Paulini ad Tit. C. I. v. I. fin. super quibus chronostichon apparet:

roBora sIC tIbI sInt perpetVVMqVe DeCVs. In fundamentis legitur symbolum, quod ex delectis a Spalatino dictis *Fridericus sapiens* elegerat, retinuitque frater *Joannes Constans*, et hujus filius, *Joannes Fridericus:* nempe V. D. M. T. AE. Inversa facies verba sequentia habet:

Ill. gymnasium Gothanum imperantibus Friderico Sap. et Joanne Const. inchoatum, perfectum a Jo. Friderico, renovatum a Jo. Casimiro, ornatum piis institutis et classe selecta ab Ernesto Pio, novo domicilio a Friderico I., conservatum auctumque pluribus docentibus et discentibus, bibliotheca, stipendiis, beneficiis a Friderico II. seren. patr. cujus auspiciis altera secularia celebrantur Dec. 21.

animo pater patriae *Fridericus Secundus* gymnasium nostrum amplecti, insigni liberalitate beare, bonarum litterarum studia fovere, alere, sustentare, et tam in doctorum quam in discipulorum animis accendere studuerit [3]; prae ceteris omnibus juvit intelligere, quam acriter gymnasii Gothani doctores jam tum pro veritate sententiae, qua statuitur, omnem doctrinam, omnem animi cultum et liberalem disciplinam ex assidua veterum Graecorum Latinorumque scriptorum lectione et recta eorum interpretatione, tamquam ex fonte limpidissimo, hauriendam esse, pugnaverint. Et haec quidem sententia stabit, quamdiu verae doctrinae justum statuetur pretium. Ut autem posteris,

---

Tertii nummi secularis facies una prae se fert imaginem *Friderici Sap.* altera distichon boni ominis plenum: Quae schola Gotha *Tibi* Spalatino consule surgit, Semper adhuc floret consule non alio, dum seculum secundum conditur 1724. Dec. 21. Disciplinae scholasticae fautor, et custos singularis erat Spalatinus. Documentum esse potest gravis ad Philippum Melanchthonem de licentia Palaeopolitanae juventutis scripta ejus querela, quam vitae ejus eruditissimus autor, Schlegelius, cum memorabili Philippi responsione exhibet. Merito itaque hujus viri, et tanti *principis* autoritate, qui a Gothano Mutiano Spalatinum acceperat, et Gothanis peccantibus clementissime indulserat, dederatque singularis virtutis theologum, Myconium, ex Spalatini sui consilio: iidem ad recta et solida constanter tuenda incitantur nummo hoc interprete. Eum in finem et quartus nummus secularibus solennibus dicatus est, exhibens una facie imaginem *Serenissimi Patris Patriae, et nutritoris clementissimi, Friderici II.,* altera hoc distichon:

Ernesti nolens pietatis vivere lege,
Sit procul a nostra, Tros Rutilusve, schola!
Post conditum seculum secundum
MDCCXXIV. DEC. XXI. *Doer.*

3) De his omnibus legendus omnino praeclarus libellus est, quem nuperrime de omni gymnasii Gothani historia mira diligentia concinnavit *vir clarissimus*, historiarum in gymnasio nostro professor, *Schulzius*. *Doer.*

gymnasii Gothani saecularia aliquando repetentibus, appareat, quam fere rationem nostra aetate in legendis et interpretandis veterum scriptoribus secuti simus, et quomodo non acquiescentes in vulgari interpretum explicatione tam verba quam sententias scriptorum diligentius explanare et illustrare studuerimus, jam observationes quasdam in explicandis Virgilii eclogis nobis subnatas proferamus in medium.

Eclog. I.

v. 13. En, ipse capellas protenus aeger ago;

Minus recte *aeger* explicat *Heynius:* affecto quamvis corpore, vel pro: *aegre*, quod non fert latinitas; imo *aeger* est sollicitus, tristis (*bekümmert*), ut Hercules de Hyla sollicitus simpliciter apud Val. Flacc. III. 571. dicitur *aeger* (*Unanimum videt aeger Hylan*). Sic apud Virgil. Aen. IV, 35. Dido de morte mariti tristis et afflicta simpliciter dicitur *aegra;* ad *aeger* supplendum est, quod passim additur, *curis;* Virg. Aen. I. 207. *Aeneas — curis ingentibus aeger.* Val. Flacc. IV. 623. *aegra pectora curis.* — Hinc recte allatum Virgilii locum vertit *Vossius:* «*Schau selber voll Kummers treib' ich die Ziegen hinweg.*»

v. 54—56. Hinc, tibi quae semper vicino ab limite saepes
Hyblaeis apibus florem depasta salicti,
Saepe levi somnum suadebit inire susurro.

Hunc locum, quem jam *Marklandus* ad Stat. Silv. 1. 3. 43. se non capere professus est et *Burmannus* ut locum suspectum notavit, corruptum esse quilibet, puto, qui eum ad rationes grammaticas exegerit, intelliget. Hinc recte *Heynius* observavit haec: «*Hunc locum, uti nunc se habet, ita expedire, ut nihil supersit, quod offendat,*

quamcunque rationem ineas, non adeo facile est. Inter ceteras tolerabilior ratio haec est, quam ***Burmannus*** *quoque iniit, verbis in hunc modum jungendis :* ***Hinc saepes a limite vicino*** *(agrum vicinum a tuo disterminans),* ***quae semper depasta*** *(est)* ***florem salicti, suadebit saepe tibi susurro levi*** *(apum)* ***inire somnum.*** » — Mihi quidem vitium hujus loci quaerendum videtur in particula *semper*; nam, ut nihil dicam de loco sinistro, in quem particula *semper* nimis longe a *depasta* rejecta est, profecto apes nou *semper*, sed per breve tantum illud tempus, quo salices florent, earum florem depascunt. Jam vero, cum *quae* postulet omnino verbum, ad quod referatur, salva autem latinitate ad *depasta* referri nequeat (quis enim dicat *quae depasta* pro: *quae depasta est?* aut si quis velit inepte jungere: *quae semper — saepes*, quomodo omitti poterat: *erat?*), pro *semper*, servatis quatuor litteris S. P. E R. mihi legendum videtur: ***superat*** h. e. tua manet, tibi non, ut aliis eripitur, servatur tibi intacta et incolumis. Repetit enim Meliboeus, quod dixit v. 47. *ergo tua rura manebunt!* Potestate autem simillima *superare* posuit Virgil. infr. Eclog. IX. 27. *superet modo Mantua nobis*, h. e. modo nobis maneat incolumis, modo ne agri Mantuani assignentur veteranis Octaviani militibus. Quodsi propositam lectionem *superat* pro inepta particula *semper* (quis enim ad *semper* suppleat: per tempus, quo salices florent? hoc enim ponendum, non supplendum erat) in textum receperis et hunc locum distinxeris ita:

> *Hic,* tibi quae *superat,* vicino ab limite saepes,
> Hyblaeis apibus florem depasta salicti,
> Saepe levi somnum suadebit inire susurro.

sententia erit commodissima haec: hic saepes, limitem tui agri a vicino constituens, quae tua manet, ubi florem salicum apes depascere solent, inter levem earum susurrum saepe tibi somnum conciliabit; sive: hic prostratus ad

saepem, cujus tu porro manes dominus, terminalem levi susurro apum, florem salicum, e quibus illa constructa est, depascentium saepe ad somnum invitaberis. — Pro *Hinc* scripsi *Hic*; paulo ante *hic inter flumina nota;* et idem scribendum videtur v. 57: *Hic alta sub rupe canet;* nam Meliboeus ad agrum, quem designat, digitum intendit. Sexcenties autem voces *hic* et *hinc* confusae sunt a librariis, ut multis exemplis docuit Drakenb. ad Liv. XXVI. 13. §. 9.

Eclog. III. 38. 39.

Lenta quibus torno facili superaddita vitis
Diffusos edera vestit pallente corymbos.

In his duobus versibus longe elegantissimis, qui tam *Heynio* quam aliis interpretibus multum negotii facessiverunt, nemo, puto haerebit, qni verba ita junxerit et explicaverit: *quibus* (poculis) *lenta vitis superaddita* (est) *torno facili* (scite tractato), *quae vestit* (amplectitur) *corymbos* (racemos, nos: *Träubchen*) *hedera pallente diffusos* (ex hedera subnigri coloris enatos et huc illuc dispersos, pro vulgari: racemos hederaceos). *Tornus* proprie de instrumento fabrili, quo ligna, ebur, alia laevigantur, excavantur, poliuntur et ad certam formam effinguntur (nos: *Dreheisen*, *Drehbank*), deinde de scalpro vel caelo (nos: *Meissel*, *Grabstichel*) quo toreumata exsculpuntur; — *pallente* de ea hedera, cujus color est fere subniger, fuscus, obscurus (nos: *dunkelgrün*) ut *faba pallens* apud Martial. V. Ep. 79. et *pallentes lupini* apud Ovid. Medic. Fac. v. 69. De tribus hederae generibus, quorum unum subnigri coloris est, vid. Plin. XVI. c. 34. — *Vestit:* corymbos amplectitur, contegit, sese applicat et implicat corymbis; sic eleganter *vitis*, quae truncum ulmi, cui illa annexa est, ambit et ei se implicat, *ulmum vestire* dicitur apud Colum. V. c. 6: *binae vites, quo celerius ulmum vestiant, pedem inter se distantes scrobibus deponendae.*

v. 108—110. Finito inter Menalcam et Damoetam certamine, quo alter alterum cantando vincere studuerat, Palaemon hujus certaminis arbiter pronuntiat haec:

> Non nostrum inter vos tantas componere lites:
> Et vitula tu dignus, et hic, et quisquis amores
> Aut metuet dulces, aut experietur amaros.

De duobus versibus 109. et 110. vehementius et acrius, quam par erat, disputatum et litigatum est ab interpretibus. *Heynius*, postquam multas difficultates movit, in Var. Lect. addit haec: «Mihi itaque satis liquere videtur, duo hos versus esse fetum grammatici, qui supplere volebat sententiam breviter a poeta enunciatam: *Non nostrum inter vos tantas componere lites.*» In subjecta annotatione idem scribit haec: «Ut haec verba per se sensum satis obvium habeant, non tamen, quid ad reliquam sententiam faciant, ab ullo interprete monitum aut dictum est, neque unquam dici posse existimo. Referre interpretum commenta nil attinet; frigere enim ea cum ipso carmine necesse est. Verum Palaemon ejusmodi arbitrium facit, ut utrumque parem esse dicat, ut adeo alter, Menalcas, *vitula*, ab Damoeta in sponsione posita, Damoetas autem *poculo* fagino Menalcae dignus videri debeat. Jam, quorsum reliqua hoc et sequente versu spectent, non facile dicas.» *Heynius* igitur, cum ex mota sibi difficultate se expedire non posset, duos illos versus ut spurios asterisco insignivit. — Proxime ad aptam huic loco explicationem accessit egregius Virgilii interpres, *Ruaeus*, hac adjecta interpretatione: «Non uni digni estis vitula pro praemio, sed etiam quicunque *vobis similes ita belle* exprimient affectus amantium, sive ejus, qui felix in amore felicitati suae diffidit, qualis Menalcas: v. 82. *Dulce satis humor — mihi solus Amyntas. et v.* 74. *Quid prodest, quod me ipse animo non spernis* etc., sive ejus, qui amaritiem in amore experietur, qualis Damoetas. v. 80. *Triste lupus stabulis* etc. *nobis Amaryllidis irae.*» Sed *Ruaeus*, ut

hanc sententiam eliceret, adjecit verba: *vobis similes ita belle* etc., quae neque expressa sunt a Virgilio, neque facile suppleri possunt. Vide igitur, an huic loco male affecto medicina afferri possit, si pro *et quisquis* mecum scripseris: *ita quisquis*, et pro *metuet* et *experietur* antiquam lectionem Edit. Venet. *metuat et experiatur* (quod fecit jam *Vossius*) in textum receperis. Sententia: Vos ambo digni estis posito pignore; utinam *ita* (eadem suavitate) quivis alius aut metum et sollicitudinem in amore felice (cf. v. 74.), aut amaritiem et curas in amore infelice (cf. v. 80.) canendo exprimat! De significatione vocis *quisquis* pro: quivis alius, noli dubitare; sic *quisquis* apud Catull. LXVIII. 28., ubi plura exempla hanc significationem satis probantia ex Cicerone et Livio protulimus.

Eclog. IV. 1—3.

Sicelides Musae, paulo majora canamus;
Non omnes arbusta juvant humilesque myricae;
Si canimus silvas, silvae sint consule dignae.

Silvas canere non simpliciter est, ut interpretes explicant, carmen bucolicum canere, sed gravioris argumenti carmen canere; poeta enim, *se paulo majora* canere velle, in versu primo professus est; — silvae altius sese extollentes opponuntur *arbustis*, h. e. humilioribus arboribus, quibus vites annecti solebant, *humilibusque myricis* (*Tamarisken*); eleganter igitur ad ingenium poetae, in vita pastoritia adumbranda versantis, per *arbusta* et *humiles myricas* carmen humilioris, per *silvas* carmen gravioris argumenti designatur. Sententia: Adeste mihi Musae, quae adfuistis carmina bucolica canenti poetae Siculo Theocrito; animus est paulo sublimioris argumenti carmen canere; non omnibus enim humilioris argumenti carmina placent; quodsi cano gravioris argumenti carmen, dignum illud sit, quod legatur a consule Pollione. Potes hoc

carmen, quo Virgillus Pollioni recens [4]) natum filium gratulatur, appellare *natalitium* vel *genethliacum*. Versatur autem totum hac carmen in elegautissima descriptione *aureae aetatis*, quam sub futuro nati pueri imperio redituram esse poeta vaticinatur.

Eclog. VI. 16.

Serta procul tantum capiti delapsa jacebant.

Heynius, se in hoc loco adhuc haerere, nec, *procul tantum* quomodo bene jungi possint, se videre profitetur. Hinc in Var. Lect. huic loco succurrere emendando studuit, sed ratione nimis a vetere lectione recedente. Vox *tantum* non ad *procul*, sed, distinctione post *procul* posita, referenda omnino est ad *delapsa*. Fuerunt igitur, qui *tantum* voci *delapsa* junctum explicarent: modo (nos: *eben*), sed *serta*, cum Chromis et Mnasylus Silenum somno jacentem viderent, jam ejus capiti delapsa jacebant; quomodo igitur illa *modo* delapsa esse dici possunt? An eo ipso tempore, cum Chromis et Mnasylus ad Silenum accederent, serta de ejus capite lapsa esse tibi fingas? Gravissimum autem, quod huic explicationi obstat, est insolita plane vocis *tantum* pro: modo, significatio. Sine dubio Virgilius *tantum* vulgari significatione pro tantummodo posuit. Equidem hunc locum ita accipio: Non ita procul a Sileno jacebant serta, sed capiti tantummodo delapsa, non discissa aut discerpta, et proinde etiamtum integra. Qui largius potabant, gerere solebant serta et, si ebrii non raro serta discerpserint, quis miretur? — Hanc loci sententiam jam *Turnebus* statuit. *Procul* non

[4]) Praestat *modo* s. *nuper*. Qui orationem suam ad severiores leges consueverunt dirigere hoc usu adjectivi *recens* abstineant. Certe apud Ciceronem ejus exemplum frustra quaerent. Primus Liv. II. 22. 4. *recens ad Regillum locum accepta clades*, quem locum *Gronov*. conjectura tentavit. Multa exempla habet *Tacitus*. Vid. *Boettiger*. Lex. s. v.

semper est de longo intervallo, sed nonnunquam de parvo, h. l. igitur pro: in propinquo vel vicinitate (nos: *in einiger Entfernung*). Sic apud Horat. Sat. II. 6. 105. *canistrum* non ita procul a conclavi, ubi coenatur, exstructum dicitur *procul exstructum;* et Virgil. Aen. X. 835. *procul aerea ramis Dependet galea.*

In eadem Ecloga v. 74—78.

Quid loquar, ut Scyllam Nisi, quam fama secuta est
Candida succinctam latrantibus inguina monstris
Dulichias vexasse rates, et gurgite in alto
Ah! timidos nautas canibus lacerasse marinis;
Aut, ut mutatos Terei narraverit artus;

ut Scyllam Nisi — narraverit, ut fabulam, quae de filia Nisi, Scylla, circumfertur, exposuerit. — Fuerunt duae Scyllae, altera Nisi, altera Phorci filia; de his duabus Scyllis Hyginus Fab. 189 et 199 tradit haec: «*Nisus, Martis filius, sive, ut alii dicunt, Dejonis filius, rex Megarensium, in capite crinem purpureum habuisse dicitur; cui responsum fuit, tam diu eum regnaturum, quamdiu eum crinem custodisset. Quem Minos, Jovis filius, oppugnatum cum venisset, a Scylla, Nisi filia, Veneris impulsu est amatus; quem ut victorem faceret, patri dormienti fatalem crinem praecidit. Itaque Nisus victus a Minoe est. Fab.* 199. *Scylla, Crataeidis fluminis filia, virgo formosissima fuisse dicitur. Hanc Glaucus amavit, Glaucum autem Circe, Solis filia, cum adsueta esset in mari lavari, propter zelum medicamentis aquam inquinavit; quo Scylla cum descendisset, ab inguinibus ejus canes sunt nati, atque ferox facta, quae* (haec vox abundat) *injurias suas exsecuta est*[5]).» Hinc verba sequentia: *quam*

[5]) Scribe: Hanc Glaucus amavit, Glaucum autem Circe, Solis filia. *Quae* cum adsueta esset —. *Annot. correctoris.*

fama secuta est, Candida succinctam non ad Nisi, sed ad Phorci filiam referenda esse sponte apparet. Nam qui contenderunt Virgilium, veterem quendam scriptorem, quem ignoramus, in hac re secutum, Nisi filiae tribuisse, quod tribuendum erat Phorci filiae, hi, ut difficultatem statim expedirent, Virgilio aliquid affinxisse videntur. Constat quidem plures fabulas diverso modo a veteribus scriptoribus narrari (veluti Philomela ab aliis in lusciniam, ab aliis in hirundinem mutata esse dicitur), sed de Scylla, Nisi filia, a Circe in monstrum marinum transformata, apud veteres scriptores nec vola nec vestigium exstat. Imo Virgilius Silenum utriusque Scyllae fabulam enarrasse fingit; nam quae post *Scyllam Nisi* sequuntur, *quam fama secuta est* (h. e. quam tradunt) *Candida succinctam* etc. elegantissime alteram Scyllam, Phorci filiam, describunt; dicta igitur haec sunt pro vulgari: aut *Scyllam Phorci.* Ex his allatis rationibus revocanda omnino est post *Scyllam Nisi* particula *aut*, quam primus temere extrusit *N. Heinsius*, et legendum:

Quid loquar, ut Scyllam Nisi, aut (alteram) quam fama secuta est.

Ecloga VIII. v. 6—8.

Tu mihi séu magni superas jam saxa Timavi,
Sive oram Illyrici legis aequoris, en erit unquam
Ille dies, mihi cum liceat tua dicere facta?

Alloquitur Virgilius Pollionem; junge: *En unquam, seu tu jam magni Timavi saxa mihi superas* (transveheris), *sive Illyrici aequoris oram legis, illa dies erit, cum mihi tua facta dicere* (canere) *liceat? — Mihi superas* est pro simplice: *superas;* nam *mihi*, ut satis constat, saepe ex abundanti additum. Sic, puto, sublatae sunt difficultates, a pluribus interpretibus de hoc loco motae.

v. 105—107. Adspice! corripuit tremulis altaria flammis
Sponte sua, dum ferre moror, cinis ipse. Bonum sit!
Nescio quid certe est; et Hylax in limine latrat.

Hunc locum nova plane interpretatione ita accipio: « *Ad-*

spice, Amarylli, *ipse cinis*, dum eum foras auferre *moror* (trahit venefica jam ad se, quod administram suam Amaryllin facere jusserat v. 101), *sponte sua* (nullo cinerem sufflando excitante) *altaria corripuit flammis tremulis* (trepidis, huc illuc se moventibus et crepitantibus). *Bonum sit!* (utinam id pro laeto habendum sit omine). — Postquam haec locuta est venefica, audit strepitum advenientis; erumpit igitur subito in haec abrupta verba: *Nescio quid...* sc. audio, *certe est*, sc. Daphnis, certe Daphnis, certe Daphnis venit; (nos: *gewifs er ist's*) *et Hylax in limine latrat*, Hylax quoque in limine ejus adventum latrando significat. — Loco suo Virgilius post verba: *Nescio quid* — admisit aposiopesin; sic enim loquuntur, quos rapit vehementior animi commotio. — Sic supra Eclog. III. 25. Menalcas Damoetam, qui se Damonem cantando vicisse jactaverat, indignabundus his verbis excipit: *Cantando tu illum?* omisso verbo: vicisti. Notissimus est ille locus Virgilii Aen. I. 139. *Quos ego* sc. in ordinem redigam. Malim tamen pro *Nescio quid*, quod est in Ald. Edit. pr., *Nescio quis*, sc. venit, quod sequitur v. 109. Distingue igitur:

Nescio quid? — Certe est, et Hylax in limine latrat.

His praemissis festinat oratio ad illos dies designandos, ad quorum publicam et solemnem celebrationem ovans exsurget Gothanum gymnasium. Celebrabit scilicet illud duobus diebus continuis XXI. et XXII. mensis Decembris primordia sua, felicissimo eventu ante tria saecula capta, hoc modo et ordine:

Primo die hora nona antemeridiana tota gymnasii tam docentium quam discentium cohors solemni pompa ingredietur aedem Augustini, ubi excitatos inter hymnos et precationes pietatis sensus alet sacra oratio, quam habebit

vir venerabilis, protephorus gymnasii, Theologiae doctor, *Bretschneiderus;* finitis his sacris congregabitur coetus in gymnasii auditorio majore, ubi, quas dies sacer fert et immittit, meditationes ego quidem latine exponam, collega vero conjunctissimus, cl. *Kriesius* germanica oratione edisseret.

Altero die continuabitur in gymnasii auditorio majore inchoata rei laetissimae celebratio. Prodibunt quinque juvenes classis selectae; et primus quidem

Carolus Augustus Feder, Gothanus, classis selectae ord. prim. discipulus, germanice dicet: *de piis sensibus, quos animis injicere debent, quae celebrantur, gymnasii Gothani saecularia.*

Secundus: *Fridericus Märcker*, Gothanus, classis selectae ord. prim. discipulus, graeca lingua aget: *de educatione Graecorum.*

Tertius: *Julius Frank*, Gothanus, classis selectae ord. II. discipulus, *laudes principum egregie praeterito saeculo de gymnasio Gothano meritorum* latinis versibus canet.

Quartus: *Reinholdus Geisler*, Saxo Lusatus, classis selectae ord. II. discipulus, *publicam disciplinam privatae praeferendam esse* latina oratione probare studebit.

Quintus: *Christianus Gottholdus Neudecker*, Gothanus, classis selectae ord. II. discipulus, *hymnum hebraica lingua* compositum declamabit.

Vos igitur, *viri illustrissimi* et *excellentissimi*, qui clavum civitatis nostrae regundae tenetis et saluti publicae summa sapientia et prudentia prospicitis, vos, *viri amplissimi*, qui in civitate nostra legum sanctitatem atque auctoritatem summa justitia et vigilantia tuemini et defen-

ditis, vos, *viri summe reverendi*, qui cultui divino sive rebus sacris rite peragendis, gymnasio nostro et omni rei literariae summa dignitate et perspicientia praeestis et providetis, vos, *viri nobilissimi*, qui publicis reditibus summa diligentia et custodia invigilatis et, quidquid ad civitatem tam sustentandam quam exornandam spectat, studiosissime curatis, vos, *viri spectatissimi*, qui rerum militarium curam geritis et, ut omnia recte et *serenissimi ducis* edictis convenienter instituantur fiantque, attente dispicitis, vos, *viri prudentissimi*, qui tam ad jus dicendum, quam ad salutaria consilia capienda in curia convenitis, et, quidquid urbi nostrae prodest, sapienter decernitis, vos, *viri celeberrimi*, qui Musarum sacra in academiis et scholis summa laude et gloria instauratis et administratis, vos, *viri clarissimi*, qui, e gymnasii nostri disciplina egressi, nunc egregie de re publica meremini, vos denique omnes, qui bonarum literarum studiis favetis, ut habendis edicto tempore et loco orationibus benevole interesse et praesentia vestra actum scholasticum haud vulgarem ornare et cohonestare velitis, ea qua decet verecundia obnixe rogatos habemus.

II.

Orationes.

9

I.

Oratio in memoriam principis optimi Ernesti II. in gymnasio Gothano

a. d. 9. Jun. 1804 habita.

Princeps celsissime [1], dux Saxoniae serenissime, civitatis nostrae proceres illustrissimi, gymnasii nostri curatores, patroni, fautores summe venerabiles, amplissimi, doctissimi.

Quamvis a vana illa opinione, me eum esse, qui coram viris tam splendore et amplitudine quam gloria et fama

---

[1] Augustus enim dux, Ernesti filius, huic orationi audiendae ipse interfuit. — Caeterum Ernestus Secundus, cujus memoriam posteris commendavit hac oratione Doeringius, egregius fuit princeps, cujus plurima et maxima in nostram terram sunt merita. Vos, quicunque hanc orationem legitis nec principem nostrum aliunde novistis, nolite arbitrari, Ernesti virtutes minores fuisse, quam oratoris verba faciunt; imo scitote factis oratorem dicta exaequare non potuisse. Tantae eminebant in optimo principe virtutes, cujus desiderium nondum exstingui potuit in gratis civium animis. Conferatis cum hac D. oratione alteram *Frid. Jacobsii* patrio sermone conscriptam, repetitam in *Vermischten Schriften* Tom. I. p. 3 sqq., et latinam orationem, quam iisdem parentalibus sacram esse voluit *Aug. Matthiae*, gymnasii Altenburgensis director. Vid. *Matthiae Vermischte Schriften* p. 144 sqq. — Paucis sed gravibus verbis ejus memoriam ita commendavit *Eichstadius* (Memor. Aug. p. 3): per duos et triginta annos ita regnavit, ut legum salubritate, litterarum et sapientiae divinae humanaeque studiis, artium affluentia, rerumque

conspicuis verba, ut decet, facere possim, longe sim alienissimus, tamen, cum res, de qua dicturus sum, ita comparata sit, ut sponte omnium animos occupet et, remoto omni verborum ornatu et gravitate, jam per se unumquemque facile commoveat atque percellat, me vel indisertum et artis dicendi imperitum pietatis certe [2]) officio satisfacere posse arbitratus sum. Nam si unquam justum piumque dolorem de morte eorum, quibuscum arctior nobis intercessit necessitudo, suscepimus, si unquam fas fuit mollissimo animi affectu recolere et repetere bona tristi morte alicujus nobis erepta, si unquam de morte cari cujusdam nobis capitis largior fletus et vehementior luctus nos haud dedecuit, profecto dolor ille, quem gymnasium nostrum cum toto populo Gothano nunc sentit, tantus est, ut liberius nos ei indulgere jubere adeo videatur pietas.

Nam *pater patriae amantissimus*, *princeps optimus et indulgentissimus*, *dux Saxoniae serenissimus*, *Ernestus II.* e terra nuper in coelum reversus [3]) nobis interesse, prodesse et prospicere, nos fovere, beare et sustentare desiit. Auditi sunt et adhuc audiuntur planctus questusque [4]), quos boni cives de optimo sibi erepto principe cient, gravissimi. Fluxerunt et adhuc fluunt piae lacrimae, quas amor, quo patrem patriae venerabamur [5]),

---

omnium, quae vitam fortunant, copiis diligenter conservandis, benigne fovendis et quavis ratione amplificandis auream civibus suis aetatem reddidisse merito judicaretur.

[2]) Voluit *saltem*.

[3]) *Sen.* Ep. 86. 1. *Animus rediit in coelum, ex quo erat.*

[4]) Nolim verba hoc ordine posita, quod gravius priorem locum non recte obtinet: *questus et gemitus, planctus et lamentatio, gemitus et lamentatio.*

[5]) Num quis veterum dixit *amore aliquem venerari?* Aut debet esse *amore quem prosequi* s. *amplecti,* aut *veneratione quem prosequi.* Caeterum non vereor, ne quis adversus ea, quae observavi, afferat *Propert.* III. 3. 23. *Pacis Amor deus est, pacem veneramur amantes.*

exprimit magis quam elicit. Laceravit et adhuc lacerat pectora omnium, quibus cognoscere contigit raras *egregii principis* virtutes, dolor acerbissimus. Scimus quidem omnes nos neque lacrimis neque precibus in vitam revocare posse eum, quem semel invasit [6]) inexorabilis mortis violentia, sed quis eos animi motus, quibus naturali quadam vi ducimur et abripimur, vincere et supprimere, aut quis bona, quorum fructu se privatum videt, sine animi dolore secum reputare potest? Quo magis autem nobiscum reputamus, quam bonus, quam aequus, quam mitis, quam benignus, quam modestus, quam sapiens denique fuerit *princeps ille*, quem abstulit nobis dura fati necessitas, eo flagrantius pios animos agitare debet ejus desiderium, eo justior videri debet doloris, quo affligimur, vehementia et eo sanctior in omnium animis virtutum ejus vigere debet memoria [7]).

Jam vero cum omnia ac singula, quibus egregie de populo suo meruit *princeps optimus*, in [8]) brevi oratione describi et enarrari nequeant (relinquenda enim illa sunt iis, qui tam ejus vitae quam rerum praeclare ab eo gestarum historiae conscribendae peculiarem consecrabunt operam), liceat mihi in brevi tantum eorum commemoratione acquiescere, quibus ille cum *in universum* [9]) *de*

---

[6]) Ob sequens *violentia* praetulerim *oppressit*.

[7]) Quid est *sanctior virtutum memoria?* Sine dubio illud *sanctior* ad *vigere* referendum erat. Scripserim: *eo altius infixa mentibus nostris inhaerebit virtutum ejus memoria.* Hanc autem sententiam dicendo variare facillimum.

[8]) Praeposito omittenda videtur.

[9]) Ex usu veterum dicendum *de universo litterarum cultu.* Velut *Cic.* Tuscul. III. 3. 6. *De universa philosophia satis dictum in Hortensio.* Vid. *Kühner.* ad h. l.; de Orat. III. 27. 106. *Loci, qui, quia de universa re tractari solent, communes a veteribus nominati sunt.* Porro quomodo Cicero nostrum *im Allgemeinen — insbesondere* expresserit, videas ex libro de Orat. I. 15. 64. *Quam ob rem si quis*

litterarum cultu in civitate sua fovendo, sustentando et promovendo, tum *de gymnasio nostro imprimis* [10]) refingendo, emendando et in optimum statum adducendo immortalem sibi comparavit gloriam. Nihil equidem nunc dicam de singulari illo litterarum cultu, cui ipse plurimum temporis dicavit; nihil de multa variaque doctrina, qua ipsum imbutum fuisse satis constat; nihil de severo studio, quod ipse Graecorum Latinorumque scriptorum lectioni sacravit; nihil de accurata cognitione et subtilitate, qua in rebus vel ad mathesin, vel ad physicen, vel ad astrorum cognitionem [11]), vel ad artis et antiquitatis opera spectantibus ipse idoneum arbitrum et judicem se praestitit et probavit; nihil denique de multis aliis, quae privatim in eo animadvertere et admirari licuit [12]); laudabo potius et

---

universam et propriam oratoris vim definire complectique vult. — Illud *in universum* Cicero, quod sciam, non habet; habet *Livius* IX. 26. 8. ubi opponitur *nominatim.* Verba sunt: *non nominatim, qui Capuae, sed in universum, qui usquam coissent in rempublicam, quaeri senatum jussisse.* Quod nos dicimus *im Allgemeinen — im Einzelnen,* hoc *Tacitus* Germ. 5. ita: *Terra etsi aliquanto specie differt, in universum tamen horrida aut foeda.*

10) Rectius omittitur.

11) *Cognitio* et subtilitas in rebus — ad astrorum *cognitionem* spectantibus minus placet; dicas: *ad coeli dimetiendi rationem.* Quod mox sequitur *artis opera,* id plurali numero dicendum: *artium opera.* — Caeterum de Ernesti studio astronomiae pulcherrime ita *Matthiae* p. 151: Stellarum varii motus eorumque mirabilis ordo animum hoc etiamnum corporis carcere inclusum ultra hujus terrae angustias ad divinam majestatem proprius intuendam evehit. Quid igitur mirum, si is, qui lege honesti omnes actiones suas totumque vitam temperabat, legis etiam divinae in hujus mundi contemplatione cognoscendae studio flagrabat ejusque ordinis pulchritudinem extra se perspicere cupiebat, quem in animo suo impressum cognoverat?

12) *Privatim in eo animadvertere licuit.* Quo referas *privatim?* Saltem dicendum erat: *in eo privato animadvertere licuit.*

breviter attingam ea, quae, quantum doctrinae et artis studia adjuverit *princeps egregius*, tamquam publica apud nos exstant semperque exstabunt monumenta. Suspicimus, posterique nostri suspicient in noto prope urbem monte magnificam illam speculam siderum cursui observando destinatam. Quantis sumtibus illam exstruxit *princeps liberalissimus?* Quot instrumentis pretiosissimis ex Anglia, feraci illa artificum matre, maximam partem arcessitis eam instruxit? Quantam coeli mensoribus [13]) siderum cursum et naturam accuratius explorandi constituendique copiam atque potestatem fecit? Quot magni nominis viri eo tantum consilio ex locis remotissimis ad nos venerunt, ut hanc speculam oculis usurparent et lustrarent, vel ex ore magni illius viri, qui huic speculae praeest, plena profundae eruditionis [14]) praecepta haurirent et imbiberent? Nam, ut uno exemplo utar, num *Burckhardtus* ad famam illam, qua celebrari nunc coepit in Francogallia, perventurus fuisse videtur, nisi in hac specula sub auspiciis felicissimis [15]) eruditionis suae incrementa cepisset et ibidem

Quid si haec substituas: *nihil de multis aliis, quae ipsius erant privatae, rebus, quae vel ipsae maximam nobis movent admirationem?*

[13]) Ad Horatii illud expressit, qui Archytam *maris et terrae numeroque carentis arenae mensorem* dixit Od. I. 28. 1. In pedestri sermone *coeli mensor* minus placet. Dicam *coeli siderumque spectatores, Livium* secutus XXIV. 34.

[14]) *Profunda eruditio* mihi nulla videtur esse. Eadem fere ratione hoc falsum est, qua quae ab aliis nominata est *solida doctrina*. Qui hoc dicere ausi sunt, ipsius translationis rationem non videntur spectavisse; neutrum certe ullo veterum loco probabitur. Hoc loco posuerim *reconditam eruditionem*.

[15]) Vix alia quaedam reperitur loquendi formula vulgari usu aeque trita atque haec *sub auspiciis*. Equidem fateor me nullum ejus vestigium deprehendisse apud veteres. Ubicunque ego eam legi, sine praepositione est *auspiciis*, ut *imperio, ductu*. Sed minime id mirandum. Scilicet nos Ger-

tirocinium quasi suum posuisset? Quid dicam de aliis, qui ex hac specula proveniunt, eruditionis fructibus? Quis nescit vel nondum usu trivit tabulas geographicas, diligentissime ad verum terrarum situm exactas descriptasque? Quis nescit denique, quantum doctum illud commercium litterarum, quae ab humanissimo hujus speculae moderatore [16]) publicantur, tam ad coeli quam ad terrarum cognitionem [17]) faciat atque conferat? Quid mirum igitur, si

---

mani nostram consuetudinem in Latinorum sermonem transtulimus. Idem obtinet in verbis *sub conditione.* Haec atque alia similia omnes fere usurpant non cogitantes, quantum is usus abhorreat a more Tulliano. Nullo loco dixit Cicero *sub conditione* vel *sub hac conditione*, sed *simplicem ablativum posuit.* Primus hoc docuit *Stuerenburg.* ad Cic. pro Arch. poet. §. 25. p. 157. Vides ex hoc exemplo et ex aliis plurimis multa apud eos, qui hodie latine scribunt, plurimorum annorum usu ita esse propemodum sancita, ut religioni paene habeatur, si quis de inveterato errore suspicionem moveat. Sed quum propius rem inspexeris, superstitionis tuae te tantum non pudeat.

[16]) Addiderim equidem *speculae rectore et moderatore.* Simplex *speculae moderator* propterea minus placet, quod vix quisquam dixerit *moderari speculam.*

[17]) Plures rationes me movent, ut haec ita scribenda existimem: *ad accuratiorem tam coeli quam terrae cognitionem parandam.* Primum participium ad *cognitionem* desiderari, vix est quod moneam; deinde praepositio semel erat ponenda; denique *coeli cognitioni* opponitur *terrae cognitio*, non *terrarum.* Terrae cognitio nobis vertendum *die Erdkunde, im Gegensatz der Himmelskunde,* terrarum cognitio *die Länderkunde* d. i. *die Geographie.* Sic etiam multum interest inter *terrae orbem* et *terrarum orbem,* licet in quibusdam locis ita affines esse possint hae locutiones, ut promiscue positae videantur. Quid intersit, ex his locis discas. *Cic.* Epist. ad div. V. 7. extr. ad Pompejum dicit: *Scito ea quae nos pro salute patriae gessimus, orbis terrae judicio ac testimonio comprobari. Orbis terrae judicium* est *auf der weiten Erde, auf dem Erdenrund;* senties *orbem terrarum* non substitui posse. Contra Romani *totius terrarum orbis*

bonus princeps, hac specula imprimis sui memoriam posteris commendatum iri ratus, quocunque alio, quod post mortem sibi exstrueretur, repudiato monumento, futurae gloriae suae partem in speculae suae gloria tuenda atque conservanda posuit. In qua quidem spe, dulcissima sane illa et simul honestissima, ut eo magis confirmaretur, generosissimo animo per testamentum ex opibus, prudente parsimonia sibi collectis, pecuniae summam amplissimam legavit et hujus sortis usuras speculae suae quotannis impendendas sacravit. Itaque apud posteros quoque vigebit *Specula Ernestina*, et tamquam Uraniae templum splendidissimum caput suum, ut adhuc fecit, super multa alia extollet et sic *Ernesti*, bonarum litterarum intelligentis aestimatoris, fautoris, adjutoris monumentum aere perennius stabit et celebrabitur.

Verum enim vero non unam quandam doctrinae partem, cujus amore imprimis teneretur, praesidio suo fovit et adjuvit, sed, quicquid ad universum doctrinae cultum spectaret, id sibi curae cordique esse debere putavit. Huc pertinet singularis illa cura, quam in bibliotheca rarissimis libris ornanda et locupletanda posuit. Quot enim libri rariores tam scripti quam typis impressi [18]) nunc servan-

imperium habent, ut est apud *Val. Max.* VII. 3. 1. Nemo profecto dixerit *totius terrae orbis imperium*. Caesaris *potestas*, ut scribit *Cicero* ad Marcellum IV. 7. 9. *terrarum orbem complexa est;* minime *terrae orbem* poterat dicere. Recte *Plin.* natur. hist. III. 1. 3. *Terrarum orbis universus in tres dividitur partes, Europam, Asiam, Africam.* Sed alia loco dicendum: *Terrae orbis tres zonas complectitur,* non *terrarum orbis.* Hinc patet etiam quam ob rem plerumque dicatur *terrae globus,* non *terrarum globus,* licet etiam hoc non sine exemplo sit, velut *Plin.* nat. hist. II. 71. 177. quo loco cur pluralem numerum praetulerit scriptor, facile perspicias.

[18]) Magis accommodatum est ingenio linguae ut dicas *libros typis s. litterarum formis describere vel exprimere.* Est observatio *Matth.* im Entwurf einer Theorie des lat. Stils p. 10.

tur in ea, quorum comparandorum ipse auctor exstitit! et quot magni pretii libri in eadem reperiuntur, qui singulari ejus debentur munificentiae! Quamobrem nullo loco lubentius versabatur aut tempus, a publicarum rerum administrandarum curis vacuum, suavius transigebat *princeps doctissimus*, quam in ipsis illis conclavibus, ubi publicae bibliothecae thesauri expositi sunt; ibi saepius frontem exporrigere, curas animi abstergere, doctos sermones miscere, nec raro atticos sales serere solebat; ibi saepe eum viderunt et convenerunt peregrini, qui sponte [19]) ab eo appellati utrum summam *principis* facilitatem et comitatem, an dignitatem cum grata modestia et amabili humanitate conjunctam magis admirarentur, dubii fere haeserunt. — Sed multo magis, quanto litterarum amore *ille* ductus fuerit, intelligi potest ex *ejus* bibliotheca privata, quae tanta praestantissimorum librorum copia et omnibus iis, quae ad amplissimarum bibliothecarum ornamenta referri solent, instructa et referta est, ut haud sciam an in tota Europa [20]) nullus alius princeps reperiatur, qui illa vel copiosiorem vel pretiosiorem ex re privata sibi comparaverit. Ut silentio praetermittam pictas imagines elegantissimas, aereas tabulas splendidissimas, infinita alia (ad quae sibi comparanda, modo praestantia sua se commendarent, illum nunquam pecuniae pepercisse constat), quibus curis quantisque impensis locupletissimum illum, quem *celsissima domus Gothana* possidet, veterum numorum thesaurum magis locupletare et per se jam satis nobilem multo nobiliorem reddere studuit? Adjungendos enim ei non solum curavit numos illos, quos studiose congesserant viri clarissimi de *Schachmann*, *Sultzerus*, *Gerningius*, *de Seckendorf*, sed superiore quoque anno tria millia rarissimorum,

---

[19]) Potius *ultro ab eo appellati.*

[20]) Omittenda erat praepositio. Vid. *Kühner.* ad Cic. Tusc. IV. 13. 29.

Graecorum maxime numorum, quos vir doctus quidam Italus *Petriccioli* ingenti studio Constantinopoli conquisiverat, haud exiguo oblato pretio in thesaurum suum migrare jussit. Sane, si quis pecuniae, in doctrinae et artium vel subsidiis vel ornamentis ab eo collocatae summam subduxerit, tantam esse intelliget, quantam raro ex suis opibus in ejusmodi rebus collocare solent principes. Sed *princeps egregius*, ut prudentes patres familiae, omnes sumtus in rebus inutilibus et inanibus faciendos prudenter fugiebat, ut eo majores in rebus utilibus et frugiferis facere posset; — erat parcus et continens, ut, ubi res posceret, eo esset liberalior et munificentior; abhorrebat ab omni vano splendore et magnificentia, ut suppeteret, unde verum honorem et veram gloriam tam sibi, quam populo suo, conciliaret. Gloria vero, quam sibi ipse paravit, eo major et excelsior est, quo fuit *ille* ab ejus ambitione [21]) alienior. Nam ut ea tantum tangam, quae ad orationis meae finem spectant, quam liberalis *ille* fuit in viros doctos et litterarum studiosos? quantis muneribus et beneficiis eos mactavit ornavitque? — et tamen, ne palam fieret haec sua beneficentia et vel ore vel scriptis hominum celebraretur et differretur, quam generoso animo cavit et prohibuit? Quam multi beneficiis ab eo affecti sunt, unde et a quo illa venirent, plane nescientes? Quam multi post tristissimam *ejus* mortem nomina sua inter eos vel jam professi sunt vel profitebuntur, qui ex privatis *optimi principis* opibus stipendio quodam quotannis adjuti et sustentati sunt?

Sed non exhilarabat tantum et recreabat viros doctos liberalite sua et beneficentia, sed eos etiam insigni favore complectebatur, quid? quod eos, quorum animi integritatem et honestatem satis perspexerat, in amicitiam adeo suam

---

21) *Ambitio gloriae* vix dici posse videtur. Aut igitur scribendum *ab ejus studio* aut *ab ambitione alienior.*

recipiebat et, quod raro hominibus doctis contingere solet, ut amicos post eorum mortem adeo pie adhuc colebat. Exstat hujus rei illustre exemplum, sive, quod vere est, insigne monumentum, quod *pius princeps* Koppio, sacrorum olim apud nos praesuli [22]) meritissimo, in ipso illo loco, ubi suaviter delitescere et curis depositis animum reficere solebat, in horto suo sive nemore amoenissimo in amicitiae, qua illum dignatus fuerat, memoriam exstruendum curavit. Cujus pectus, qui inscriptionem huic monumento insculptam legerit (est autem illa concepta his verbis: *Jo. Benj. Koppio, doctori theologiae, amico optimo hoc monumentum posuit*), cujus pectus, inquam, qui hanc inscriptionem legerit, non incalescit, non percutitur, non summa principis, qui viro docto tale monumentum cum tali inscriptione ponere non infra dignitatem suam habuerit, admiratione, verecundia ac veneratione perfunditur? Ex his paucis vero, quae delibavimus tantum de pluribus [23]), cum jam satis, quantum pretium doctrinae et viris doctis *divus princeps* statuerit, intelligi posse videatur, sponte

---

[22]) *Praesulis* appellatio locum non habere videtur. Est *supremus sacrorum antistes.*

[23]) Sententia esse debet: *Ex his paucis vero rebus, quarum summas tantum attigimus.* Scio recentiores scriptores sic usurpare verbum *delibandi.* Sed quod longo usu inveteratum est, idcirco non semper probum est. Videamus locos in quibus *delibare* cum praepositione *de* junctum est. *Cic.* de Invent. II. 39. *Si existant, qui apud majores nostros ob egregiam virtutem tali honore dignati sunt, nonne de sua gloria, quum pari praemio tales homines affici videant, delibari putent.* Ib. II. 57. *Fieri poterit, ut quum incolumitati consuluerimus, quod sit in praesentia de honestate delibatum, virtute aliquando recuperetur.* Id. ad Famil. X. 21. *Putabam posse me nec de laude jejuni hominis delibare quicquam.* In omnibus his locis quos ex Gesneri thesauro sumsi vides *delibare* esse idem quod *deminuere, detrahere, demere, auferre.* Noli igitur illa significatione, qua posuit D., ponere.

deflectit oratio ad immortalem illam gloriam, quam idem cum in universum de scholis, vel nuper institutis, vel melius constitutis, tum imprimis de gymnasio nostro amplificato et ad eam, quam nunc tuetur, dignitatem evecto meruit et in coelum secum reportavit. Sub primis statim suscepti imperii auspiciis dispicienti, quibus potissimum consiliis populi sui felicitati maxime prospectum iret, ante omnia cura in salubriore juventutis institutione ponenda ejus animum videtur occupavisse. Cum igitur intellexisset, quam inepti vulgo homines essent ii, quibus in agris juventutis instituendae demandata adhuc esset provincia, scholam quandam, ubi futuri rusticae [24]) juventutis praeceptores fingerentur et ad munus suum dextre aliquando obeundum rite praepararentur, fundandam aperiendamque esse censuit. Hinc scholam futurorum ludimagistrorum *Seminarii* nomine insignitam non florere tantum jam in urbe nostra per plures annos vidimus, sed etiam, quanta per eam agrorum cultoribus parta sit felicitas, experientia edocti sumus. Quam multi enim jam inde prodierunt, qui tam arte docendi, quam idonea rerum docendarum cognitione instructi multo prudentius, quam ante, discendi cupidam juventutem in agris erudirent, multo rectius, quam ante, virtutis et pietatis sensum teneris animis inspirarent, multo salubrius denique ea, quae cuique cognitu necessaria sunt, traderent.

Sed praeter hanc scholam, qua nihil ad meliorem cultum hominum agrestium institui ab *optimo principe* potuit sapientius, idem, altera ante aliquot annos in urbe nostra fundata, pauperum imprimis miserae sorti et conditioni humanissime consulere et succurrere studuit. Gaudet igitur nunc urbs nostra hac quoque felicitate, ut scholam habeat, qua pauperum liberi non solum gratis erudiuntur et ad virtutis et honestatis studium impelluntur, sed etiam

---

24) Scripserim *rusticanae*.

operis ibi pro mercede faciendi data copia ab ignavia ad laborem avocantur et a turpi mendicitate ad honestiorem vitam traducuntur.

Scholis ab ipso institutis haud immerito accensenda ea quoque videtur, quae liberaliori puerorum educationi dicata *Schnepfenthalium*, ubi sedem suam fixit, insigniter apud exteros nobilitavit. Quamquam enim de laude, quae hujus scholae conditori, clarissimo *Salzmanno* debetur, nihil detractum volumus, tamen, nisi ille *Ernestum* nostrum nactus fuisset, qui, quae optabat, concederet et quibus egebat, suppeditaret, profecto, ut ipse grato animo profiteri solet, res et facultates ad scholam illam condendam ei defuturae fuissent. Simulatque enim *princeps optimus* de rei cujusdam instituendae utilitate vel de optato rei bene institutae eventu persuasus et certior factus fuerat [25]), statim ejus patronus et deus quasi tutelaris exstitit. Talem eum experta illa quoque schola est, quae a viro clarissimo *Kirstenio* puerorum institutioni in urbe nostra aperta quidem et dicata, sed, ut tutius staret et firmiore fulcro [26]) inniteretur, *Ernesti* praesidio et subsidio munita et stabilita est.

Prae ceteris autem scholis omnibus in oculis et sinu [27]) quasi *divus princeps* gestasse videtur gymnasium nostrum, in quo diffingendo et optime constituendo tot ac tanta summi *favoris*, nisi verius dicendum est *amoris* edidit specimina [28]), ut illud in aeternis, quae in hac vita sibi

---

[25]) Dicere D. debebat: *simulatque principi de .... persuasum erat. Certiorem fieri* non hac significatione positum reperi. Pro *statim* malim *continuo.*

[26]) Corrige *fundamento. Fulcrum* est lecti, triclinii, aliarum similium rerum; nusquam transfertur in illum modum.

[27]) *Gymnasium in sinu gestare* minus felici translatione mihi dictum videtur. Simplicius ideoque praestabilius est: *singulari favore amplecti.*

[28]) Pone *documenta.* Supra de ea re dictum est.

exstruxit, monumentis haud ultimum locum occupare videatur. De gymnasio autem nostro melius constituendo sub primis statim imperii sui initiis serio cogitare coepit. Viro igitur, cujus eruditioni, experientiae, prudentiae et animi integritati multum tribuere solebat (*Geislerum*, gymnasii nostri tum rectorem longe meritissimum dico), consiliis suis in hac re adhibito, quicquid ad verum honorem et pretium gymnasio parandum facere videretur, decrevit, jussit et perficiendum curavit. Hinc factum est, ut, postquam doctorum numerum auxerat eosque non solum ampliore honore, sed etiam amplioribus stipendiis ornaverat, tam nova, quam commendabat, docendi ratione, quam novis, quas tradendas doctoribus demandabat, disciplinis novam plane gymnasio formam indueret [29]). Nam cum probe intelligeret vix fieri posse, ut unus doctor in pluribus vel linguis vel disciplinis simul tradendis dextre satis et accurate versetur, et studium illud, quod unaquaeque vel lingua vel disciplina postulet, rite in plures simul impendat [30]), doctorum munera sapienter ita descripsit et dispertivit, ut unusquisque in ea tantum lingua vel disciplina, cujus peritissimus esset, praecepta daret ideoque uni tantum linguae vel disciplinae omne otium et omnes ingenii vires dicaret atque consecraret [31]). Qua quidem instituta docendi ratione vel potius felicitate quantum a gymnasii nostri doctoribus

---

29) *Formam induere* bene se habet; sed num idem statuas de hac junctura *formam induere alicui?* Sic *personam induere* notissimum ac probissimum; num censes quemquam dicere ausum esse *personam induere alicui?*

30) Equidem scripserim: *per plures pari successu dispertiat.*

31) Vides Doeringii modestiam. Quod suum erat, tribuit optimo duci. Sed haec profecto non parva Doeringii felicitas habenda est, quod, quum munus suum capesseret, eum principem nactus est, qui, quae prudentiores homines in sua quisque provincia probavissent, rata esse juberet. Caeterum quae D. hoc loco de instituta illa scholae nostrae ratione praedicat, ea verissima sunt ac longo annorum usu apud

praestari potuerit et, quod sine jactatione addere possumus, quantum vere praestitum sit, satis, puto, experientia docuit. Nam ut nihil de laude et fama eorum collegarum dicam, qui in hoc ipso gymnasio Musarum sacris initiati sunt, quot, quaeso, alii ex eodem prodierunt, quorum nomina cum maxime inter viros doctos celebrantur? Et quid aliud gymnasio nostro famam illam, qua apud exteros inclarescere [32]) coepit, conciliare potuit, quam litterarum, quae apud nos fervent, studia et ea, qua juvenes apud nos erudiuntur, ratio? Quot juvenes doctrina et fama eorum, quorum institutione hic uti licet, exciti per plures annos ex omnibus paene Germaniae regionibus confluxerunt et adhuc confluunt? Ne multa! *Ernesti Secundi* curis et opibus gymnasium nostrum tale evasit, qualia, ut uno ore fatentur omnes, admodum pauca reperiuntur. Nec concessit et fieri passus est *optimus princeps*, ut viri illi, quorum doctrinam et gloriam exteri nobis invidebant, hac terra cum alia mutata gymnasio nostro eriperentur! Adest igitur adhuc collega amicissimus [33]), quem primum quidem dux Oldenburgensium, deinde rex Daniae, denique rex

nos comprobata. Quamobrem id habemus in votis, ut, si quae in gymnasio nostro mutanda visa fuerint, hoc certe ejus institutum admodum salutare maneat intactum.

[32]) Est argenteae aetatis vox; scribe: *illustrari coepit*.

[33]) *Fridericum Jacobsium* intellexit. Debetur hoc Ernesto, insigni litterarum fautori, quod Jacobsius ne splendidissimis qnidem illis apud exteros oblatis conditionibus illo tempore potuit permoveri, nt aliam fortnnae snae sedem quaereret. Sed nec Doeringius noster merita laude sna defrandandns est. Is enim, quod ipse in oratione sua modeste reticuit, quum Danorum rex Jacobsio professoris apud Kilonienses munus lautissimis conditionibus obtnlisset, ut ne minima quidem mora celebratissimo collegae aliquam dubitandi causam praeberet, statim ipsum ducem adiit eumqne obsecravit atque obtestatus est, ut Jacobsio ea offerret commoda, qnae lautioris illius muneris desiderium quodammodo lenirent. Dux celsissimus rectoris nostri et facundia et singulari ejus scholae collegaeqne amore ita motus est, ut petentis precibns se

Borussorum frustra suum facere tentarunt! Adsunt tres alii collegae conjunctissimi, quos exteri ne lautissimis quidem conditionibus a gymnasio nostro abalienare potuerunt! — Debetur igitur *divo Ernesto* haec quoque summa felicitas, ut hujus gymnasii doctores, quos omnes ac singulos intima et rarissima inter se junxit amicitia, juncti inter se maneant et felices ter et amplius irrupta ad mortem usque teneantur copula [34]). — Quae quidem omnia si grato animo perpendimus et repetimus, quid mirum, si de morte *optimi Principis*, cui gymnasium omnem felicitatem suam et dignitatem acceptam refert, gravissimo acerbissimoque dolore commovemur et abripimur?

Sed nolo quidquam addere, quod ad augendum magis quam leniendum dolorem nostrum faciat. Cogitemus potius de iis, quae post *immortalis Ernesti* mortem nobis manent, nec ulla vi nobis eripi possunt. Nam ut verba Taciti de Agricola ad *Ernestum* transferam, *quicquid ex Ernesto amavimus, quicquid mirati sumus, manet mansurumque est in animis hominum, in aeternitate temporum, fama rerum. — Vivit vivetque semper* (sunt verba Plin. Epist. II. 1) *atque etiam latius in memoria hominum et sermone versabitur, postquam ab oculis recessit.* Imo vivet, manebit et superstes erit in *celsissimo imperii sui successore, Augusto*, cujus ipsius in hac concione praesentia nihil ad mitigandum nostrum dolorem esse et cogitari potest praesentius. — *Hic* enim moestae

satisfacturum esse promitteret. Vix Doeringius discesserat, quum dux e vestigio parari vehiculum jubet; sine mora se confert ad eum, cujus auctoritati in rebus scholasticis moderandis plurimum tribuebat. Consilio cum eo communicato tantis praemiis mox ornavit Jacobsium, ut gymnasio nostro diutius operam suam commodaret. Narravit hanc rem *Kriesius* in oratione in Doeringii memoriam ab ipso habita p. 10. Cf. *Schulze* Gesch. des goth. Gymnas. p. 299.

[34]) Ex *Horatio* desumta verba, Od. I. 13. 18.

patriae lucem reddet, — *hujus* vultus veris instar populo suo affulgebit, *hoc duce* laeti, ut ante, populo dies ibunt et soles sereni nitebunt [35]). — Moderabitur *hic* quoque terras nostras miti et leni imperio, invigilabit [36]) *hic* quoque populi sui saluti paterno animo, fovebit *hic* quoque litterarum, quarum ipse cultor et peritissimus spectator est, studia, nec gymnasium nostrum, quod singulari suo favore et patrocinio complectatur, indignum habebit. Servet igitur Deus Optimus Maximus *serenissimum ducem Augustum*, in quo omnis spes nostra posita est, cum *conjuge celsissima* salvum atque incolumem et sub [37]) faustissimis ejus imperii auspiciis Gothanorum et Altenburgensium terras porro summa felicitate frui, florere et vigere jubeat!

---

35) Alium hic expressit *Horatii* locum, Od. IV. 5. 5.

36) Est poetica vox, quam h. l., quum altius assurgat oratio, facile concedas.

37) Omittenda est praepositio. In memoriam tibi redeant, quae supra observavi.

II.

Oratio in memoriam serenissimi ducis Aemilii Leopoldi Augusti

habita 4. Jul. 1822.

Vir insignis, qui celsissimi principis loco assides, viri illustrissimi, excellentissimi, patroni, amici, collegae, amplissimi, clarissimi, doctissimi, juvenes carissimi [1]).

Multa in hac vita praeter omnem opinionem atque exspectationem accidere quotidiana, nec raro tristis nos docet

[1]) In memoriam *Augusti* ducis praeter Doeringium etiam *Kriesius*, collega conjunctissimus, disertam orationem habuit, patrio sermone conscriptam. Utramque paulo post *Fridericus* dux, qui fratri in imperio successit, litterarum formis descriptam evulgari jussit. — In exponendis et laudandis Augusti virtutibus nimis arctis orationem suam Doer. circumscripsisse videtur cancellis. Fuit enim Augustus, quod omnes fatentur, quibus eum accuratius cognoscendi data fuit facultas, admirabilis homo, qui ingenii praestantia, doctrinae copia, honestarum artium scientia, morum suavitate, aliis quae principem decent ornantque virtutibus unicuique facile summam sui injiceret admirationem. Quam praeclarus fuerit Augustus princeps, quam ingeniosus homo, quam insignis litterarum cultor, expositum leges apud *Fr. Jacobsium,* qui in paucorum illorum fuit numero, qui in ducis familiaritatem recepti erant. Vid. *Vermischte Schriften* Tom. I. p. 81. Tom. VI. p. 456 sqq. Eidem Augusto monumentum exegit principe illo dignissimum *Eichstadius,* disertus eloquentiae apud Jenenses professor, memoria ducis posteritati commendata. (*Memoria Augusti,* cujus editio altera Gothae prodiit 1823.) Juvat hoc loco cum lectoribus nostris communicare

experientia. Quam saepe enim subito rei alicujus eventu vel malo aliquo opprimimur, cujus ne suspicio quidem in mentem venerat. Quam saepe igitur, ubi intelleximus rem aliquam longe aliter cecidisse, ac finxeramus nobis animo, dicere solemus: *quis hoc putasset* [2]. Id quidem, si cui unquam, dicendum est mihi hoc die et in hoc loco, ubi de tristissima sorte, quam tota civitas nostra experta est, nunc verba facturus sum. Nam cum in hoc ipso loco abhinc annos duodeviginti *serenissimi ducis Ernesti Secundi, quo nihil majus meliusque terris Gothanis fata donaverant* [3], memoriam celebrarem et de morte *egregii illius ducis* gymnasii nostri dolorem cum totius populi Gothani dolore miscerem, spem illam, qua tum de futuro

---

quae in libri exordio habet de Gothanorum principum, quorum gens cum Augusto atque Friderico extincta est, virtutibus et in litteras meritis. Qui tametsi, haec sunt Eichstadii verba, jam dudum ad cognatos superos reversi sunt, ita tamen viget illorum apud posteros memoria, ita ore et scriptis omnium tolluntur celebranturque, ut non discessisse ex his terris, sed adhuc vivere inter nos, res nostras curare et nobiscum agere videantur. Quod qua arte consequuti sint, haud difficile est explicatu. Pietatis enim caeterarumque virtutum fuit studium, quo effecerunt, ut posteritati usque commendarentur: litterarum amor, quo famae suae prospexerunt: tutela litteratorum, quos quum testes virtutum suarum vellent esse, gratos etiam praecones habuerunt: fuit denique gubernatrix illa civitatum prudentia, in tam illustri collocata monumento, ut nunquam deessent, qui in eam intuerentur, qui intenderent animos, qui suo quisque in loco aemulari eam gestirent. —

[2]) Ex ingenio latini sermonis debet esse indicativus modus. Simile in iisdem paene verbis exemplum habes apud Cic. de Off. I, 25. *ingenii magni est — non committere, ut aliquando dicendum sit: non putaram;* deinde apud *Valer. Max.* VII. 2. 2. *Scipio Africanus turpe esse ajebat in re militari dicere: non putaram.* Cf. *Ramshorn.* Gram. §. 165. Not. 1.

[3]) *Horat.* Od. IV. 2. 37.

tempore erigebantur animi nostri, misere fefellit tristis experientia. Aderat tum parentalibus illis *egregii parentis egregius filius*, successor imperii, *Augustus*, et qualis tum princeps? Quam laeto adspectu? Qua omnium, qui eum conspiciebant, de longiore ejus vita persuasione et fiducia? Genua ejus virebant, sanguis vernabat [4]), vigor animi exsplendescebat, externa corporis species firmitatem et virium robur ostendebat. At hic ipse princeps, qui per longam annorum seriem [5]) populo suo interfuturus esse [6]) videbatur, tam mature ex medio vitae cursu ablatus, *quis hoc putasset*, morti non exorabili succubuit. — Tam incerta, tam vana, tam fluxa et fragilia in hac vita sunt omnia. Tam subito, quae modo erant serena, pelluntur et obducuntur nubibus, quae modo erant laeta, mutantur tristibus. Et hanc subitam et inopinatam plane mutationem videt nunc sentitque civitas nostra inenarrabili de *optimi ducis* morte dolore afflicta et profligata. Liberius et largius fluunt lacrimae, sed frustra fluunt, *panditur ad nullas janua nigra preces* [7]). Hoc scimus omnes, sed non possumus lacrimas reprimere, quas justus dolor exprimit. — Nec cuiquam justus dolor pudori esse potest, modo ne ea, quae ad illum leniendum mitigandumque vim habent et vim habere debent maximam, plane negligat, sed diligenter secum reputet

[4]) *Propert.* IV. 5. 57.

[5]) Scribe *per multos annos continuos.* Cave tibi a pervulgato hujus vocis usu, quae minime respondet Germanorum vocabulo *eine Reihe,* sed *die Reihenfolge,* quod respicias ex *Horatii* loco III. 30. 4. *Exegi monumentum, quod non possit diruere innumerabilis annorum series.* Neque aliter *Statius* Silv. IV. 3. 145. *Vidi quam seriem morantis aevi Pronectant tibi candidae sorores. Plin.* nat. hist. VII. 41. 42. *Una familia Curionum, in qua tres continua serie oratores exstiterunt.* Sic pro *imperatorum serie* dicendus *imperatorum ordo.*

[6]) Quis non meminerit *Horat.* Od. I. 2. 46.?

[7]) *Propert.* IV. 11. 2.

memorique animo recondat. Itaque nos quoque, quorum animos nunc lacerat dolor justissimus, ea, quae patientius et moderatius illum nos ferre jubent, studiose exquirere, et laceratis pectoribus fomenta quasi parare debemus. Jam vero, si summa illa, quae sub [8]) faustissimis *Augusti* auspiciis nobis omnibus contigerunt, in animum revocamus beneficia, dolebimus quidem eum, cui illa debemus, non amplius inter vos vivere, non amplius praesentem rebus nostris prospicere, non amplius vultum mitem placidumque populo suo ostendere, sed eodem tempore, si cogitamus ea, quae sapienter ille instituit et in communem populi Gothani utilitatem fieri jussit, post ejus mortem quoque mansura et profutura nobis esse, pio profecto gratissimoque sensu afficiemur et *Augustum* post mortem quoque apud nos et inter nos vivere et victurum esse putabimus. Quoties enim, qualem *principem* ille se nobis praebuerit, animo repetemus, toties talis oculis nostris praesens quasi obversabitur. — Exercuit autem ille eas virtutes, quibus principes omnium civium animos sibi vel maxime conciliant atque devinciunt.

Augustus enim primum omnium, quae utilia et salutaria essent populo suo, studiosissimus non acquievit in eo, ut illa, quae *celsissimus ejus pater* sapientissime inchoavisset, strenue perficeret, sed idem novis in gratiam populi consiliis ineundis novisque opportunitatibus inveniendis et adornandis fuit intentissimus. Ad novas illas opportunitates non pertinent [9]) tantum viae publicae, quas iter facientibus antea propter loca lutosa et paludosa vix superabiles nunc stratas, planas, munitas et faciendis itineribus aptas atque commodas videmus, sed etiam pulcherrima illa forma, quam mira arte et solertia induerunt loca

[8]) Omittenda erat praepositio.

[9]) Hac sententia perperam usurpari pertinendi verbum, hodie notum in vulgus est.

urbem nostram ambientia. Ubi enim antea stagna et paludes exhalabant graves odores, ibi nunc in hortis cultissimis flores spargunt odores suavissimos; ubi olim obsoleti muri tenebras inducebant contiguis aedibus, ibi aperta nunc est planities, ibi spirat aer liberior, ibi sol collustrat domos et conclavia; ubi olim hinc illinc circa urbem erant loca vasta, deserta et squalida, ibi nunc conspiciuntur vireta, xysti, ambulationes, arborum peregrinarum digesti ordines, amoena nemora. Hinc saepius nunc fieri solet, ut ii, qui post plurium annorum absentiam in urbem nostram redeant, in novam terram delati sibi esse videantur. Quis autem haec omnia contemplari et admirari potest, quin sensu erga eorum auctorem tam grato quam jucundo perfundatur?

Augustus deinde fuit *princeps mitissimus*. Mitis et facilis erga omnes, qui eum adibant, mira lenitate et clementia non audiebat tantum supplices, sed eorum precibus quoque, si ullo modo fieri poterat, locum relinquebat. Proclivior ad indulgentiam quam ad severitatem in decernendis exercendisque poenis veniam iis, qui venia corrigi posse videbantur, paterno animo dabat [10]). — Sed idem fuit *justissimus*. Quemadmodum enim ipse jus sancte colebat, omnia ad normam recti exigebat, suum cuique tribuebat, nihil, quod aequitati repugnaret, appetebat, nihil, in cujus possessione alius esset, sibi vindicabat, ita nullo modo quemquam ab alio injuste tractari, violari, licentius turbari, vexari vel injuria aliqua affici patiebatur. Itaque, si de causis quaerimus, ex quibus nuncius de morte *serenissimi ducis Augusti* omnes ac singulos totius populi Gothani tanto luctu oppleverit et prostraverit, vel, quod

---

[10]) Ab animo meo impetrare non possum quin h. l. adscribam *Eichstadii* verba verissime haec de Augusto praedicantis p. 13: *O beatum summisque laudibus dignum principem, cui defuncto primae fluunt civium lacrimae, quas, dum regnavit, nulli unquam suorum nimis imperiose superbeque agendo expressit.*

idem est, si de causis quaerimus, ex quibus populus Gothanus *principem suum* tanto amore complexus et tanta pietate veneratus sit, eas praecipue ab animo, quem *Augustus* probavit, mitissimo et ab ejus justitia repetendas esse nemo non intelligit.

Si porro *beneficentia* in earum virtutum numero est, in quibus vel maxime spectatur humanitatis honor atque dignitas, profecto vix unquam extitisse videtur princeps, qui pulcherrima hujus virtutis laude pulchrius *Augusto* exsplendesceret. Fuit enim ille *beneficentissimus.* Simulac de inopia, qua singuli premerentur, vel de calamitate, qua plures affligerentur, aliquid inaudiverat, statim ne rogatus quidem opibus suis inopiae succurrere et calamitatem leviorem reddere studebat. Quid? quod humanitatis sensus ita agitabat generosum ejus pectus, ut parentum ad egestatem redactorum liberos non solum alendos et educandos, sed etiam bonarum litterarum et artium scientia erudiendos et excolendos curaret.

Augustus porro populo suo in rebus trepidis *custos fuit fidissimus atque constantissimus.* Si nonnunquam juvat adeo meminisse malorum, quae perpessi sumus, vel periculorum, quae deus quidam tutelaris a nobis avertit, juvabit sane nunc recolere animo illud tempus, quo mala terris nostris imminebant gravissima. Jam urbi nostrae adpropinquabat post nobilissimam illam pugnam Jenensem Francogallorum victor exercitus; jamjam in locis finitimis saevire incipiebat tempestas minacissima. Omnes terrore exanimari; alii huc illuc discurrere, res suas comportare, comportatas locis occultis abdere; alii fuga salutem quaerere, et trepido cursu loca remotiora petere. At *Augustus* firma et obstinata mente in aula sua manere et fugam ei suadentibus intrepido animo dicere: «*Nihil omnino, nullum periculum, nullae hostium minae me permovere poterunt, ut populum meum deseram; quicquid acciderit, praesens ego una cum populo meo feram.*» — Quam salutare hoc

generosioris ducis consilium toti populo Gothano fuerit, mox res ipsa declaravit. Vix enim ad aures timendi illius imperatoris, qui totam fere Europam armorum vi concussit, pervenerat nuncius ducem Gothanum non timere hostilia, quia pro hoste haberi nequeat, sed potius summam in imperatoris aequitate et magnanimitate ponere fiduciam, cum statim ille ab imperio, quo populum Gothanum ingentem pecuniae summam ad impensas belli contribuere jusserat, abstitit, et *Augustum* in eorum, quibus bene cuperet, numerum recepit. — Itaque, si jam mala illa, quae *Augustus*, tamquam deus averruncus, prudentia sua et fortitudine animi ante sedecim annos a patria nostra avertit, nobiscum reputamus, profecto fieri non potest, quin haec cogitatio non sensus tantum post illius mortem tristissimos, sed eodem tempore gratissimos jucundissimosque in animis nostris excitet. Nonne autem omnia fere bona, quae inde ab eo tempore medias inter belli calamitates civitati nostrae contigerunt, a salutari illo *Augusti* consilio tamquam a fonte saluberrimo derivanda sunt?

Denique *Augustus*, ut ejus virtutes, ab historiarum scriptoribus copiosius enarrandas, strictim tantummodo tangam, bonarum litterarum et liberalium artium fuit amantissimus. Hic quidem bonarum litterarum amor materiam dicendi suppeditat uberrimam. Quam multa enim dici possunt de eximia *Augusti* doctrinae copia? quam multa de ingenio ejus perspicacissimo? quam multa de elegante ejus rerum ad doctrinam spectantium judicio, acumine et subtilitate? quam multa de ejus recondita veterum artium et veterum monumentorum scientia? quam multa denique de insigni ejus studio, quo *magni parentis* exemplum secutus gymnasium nostrum liberalissime exornavit, locupletavit, et novis additis opibus firmius reddidit atque munivit? [11])

---

[11]) Vos, qui gymnasio nostro favetis, legite quae in ejus laudes scripsit *Eichstadius* p. 17, in quo loco Augusti merita cele-

Sed haec neque angusti, quibus oratio mea circumscripta est, fines capiunt, neque ingenii mei vires tenuiores ejusmodi rei suscipiendae atque sustinendae pares sunt [12]). Quod igitur ego ipse exsequi non potui, exsequetur, qui me excipiet, collega conjunctissimus [13]).

---

brat. Commemorari oportet, sic loquitur orator Jenensis, gymnasium Gothanum, doctorum praestantia, celebritate discipulorum, disiplinae strenuitate, jam dudum ita excellens famaque notum, ut non modo a civibus frequentetur, sed multis certatim expetatur exteris; cujus veterem gloriam ita sustentavit Augustus, ut bibliothecam insigni librorum paratu augeret eidemque physicorum instrumentorum egregiam supellectilem, quae nulla antehac fuisset, liberalissime adjiceret.

12) Gratissimi animi sensu perfundimur, quum, quae Ernesti ducis ejusque filiorum in nos exstiterint merita, repetimus memoria. Non meliore ego uti possum praeconio quam *Eichstadii*, cujus verba h. l. apponere juvat (Augusti Mem. p. 13): Quos, quaeso, inquit ad Academiae cives conversus, alios tot commodorum utilitatumque, secundum deum quidem, auctores statoresque agnoscitis, quam divos illos principes, quos nobis ac vobis contigit vivos et praesentes venerari? Nempe haec Ernesti fuit in legibus ferendis sapientia, haec Augusti in iisdem custodiendis constantia, haec utriusque in jure dicundo lenitas, in tributis moderandis temperatio, in fovendis litterarum scholis artiumque institutis beneficentia, in tractandis litteratis hominibus humanitas, haec innocentem neminem laedens et suum cuique tribuens, nec tribuens solum, verum etiam conservans justitia, haec admirabilis comitas abhorrens ab omni fastu et petenti cuique facilem aditum patefaciens, haec temperantia animi, ab impotentia et arbitrio plurimum dissidens, haec infensa delatoribus aequitas, haec depellens obtrectatorum calumnias benevolentia, haec mansuetudo animi, ne irae quidem indulgens injuriam et male faciendi cupiditatem, denique haec vere paterna indulgentia, quae tantam populo felicitatem peperit, quae civium fidem prolixamque voluntatem tanquam hereditariam ab Ernesto in Augustum filium propagavit, quae vivo amorem omnium conciliavit, quae mortuo praestat aeternitatem.

13) Est *Kriesius* noster.

Antequam tamen dicendi finem faciam, liceat mihi animum a tristioribus advertere ad laetiora, ad eum quidem, qui unus dolorem nostrum, si non plane pellere et compescere, temperare saltem et mitigare potest, ad *serenissimum ducem Fridericum*, quem *fratri amantissimo* in imperio successisse tota civitas ovat atque triumphat. Utinam *Fridericus* terrae Gothanae, ut cum Horatio loquar [14]), *longas praestet ferias*, h. e. utinam sub ejus imperio populus Gothanus per *longam* annorum seriem [15]) imperturbata quiete et securitate fruatur. — Utinam pia vota, quae nos omnes tacito pectore alimus atque fovemus, Deus optimus maximus rata esse jubeat. Tunc *Fridericus* firmissimo pede et stabit et omnia nobis impendentia pericula propulsabit; tunc sapientissimorum virorum consiliis adjutus res publicas egregie moderabitur; tunc geminae sorores, civitas Gothana et Altenburgensis pietate inter se certantes junctis, ut ante, manibus laeto vultu incedent et usque ad invidiam florebunt atque exsplendescent.

14) Locus Horatii est Od. IV. 5. 37. — Caeterum scribe *ut Horatii verbis utar*. Illa loquendi formula veterum nullus usus esse reperitur.

15) Potius: *per multos annos*.

III.

Oratio in memoriam Caroli Gottholdi Lentzii

habita in gymnasio Gothano a. d. 20. April. 1809 [1]).

Ad gravissimos, qui pectora nostra in hac vita cruciant atque lacerant, dolores referendus esse imprimis videtur is, qui de morte eorum, quos valde amamus atque diligimus, suscipitur. Hunc quidem dolorem, *dilectissimi collegae et amici*, nuperrime sensimus, cum morte nobis eriperetur collega et amicus, in cujus mutuo amore tam suaviter acquiescebamus et cujus fides atque integritas tam longo usu et tot officiorum generibus nobis spectata fuerat. Eundem dolorem sensistis vos, *carissimi discipuli*, cum efferri videretis doctorem, e cujus ore tam largas doctrinae copias et tot praeclara praecepta imbiberatis et cujus tam singularem in animis vestris fingendis curam experti fueratis. Nos omnes, inquam, hunc dolorem sensimus, sed multo gravior et acerbior ille sentitur et refricatur quasi hoc ipso die, quo post examen publicum in gymnasio nostro scholas de integro auspicaturi nos quidem collegam, qui in partem et societatem muneris, quo fungimur, veniat,

---

[1]) De Lentzii vita accuratissime egit ejus frater, qui tum gymnasii Vimariensis director erat in *Programm. de vita Car. Gotth. Lentz. in illustr. gymn. Gothano nuper professoris ejusque majoribus* etc. Vimariae. 1810. Cf. etiam Lentzii vitam a *Schulzio* descriptam in *National-Zeitung der Deutschen* 1809. Nr. 14.

frustra circumspicimus, vos vero, *carissimi discipuli*, doctorem et ducem, quo adhuc usi estis, frustra quaeritis. — Et justae profecto sunt nostrae, justae sunt vestrae querelae, quas de obitu viri clarissimi et professoris hujus gymnasii meritissimi, *Caroli Gottholdi Lentzii*, nobiscum fudistis et adhuc funditis. Imo tantum abest, ut pudori nobis sit tam cari capitis desiderium, ut eo magis illi indulgere deceat, quo magis ipsum dolorem, cui pie indulgemus, moderate ferre discimus. Quomodo enim justo alicui dolori indulgere possumus, quin simul animo repetamus bona, quae perdidimus? — et quomodo bona, quae perdidimus, animo repetere possumus, quin suavi simul fructuum, quos ex perditis bonis percepimus, recordatione recreemur et reficiamur? Agite igitur, ut dolori, optimi viri morte nobis inusto, praesentem quasi medicinam paremus, breviter mecum percurrite et in animum revocate *defuncti* virtutes atque merita et, si vos imprimis, *juvenes carissimi*, non solum, qualis ille fuerit, sed etiam, quomodo talis, qualis fuit, evaserit, intellexeritis, diligenter ad ejus exemplum studia vestra dirigite atque componite.

Anno millesimo septingentesimo sexagesimo tertio natus est *Lentzius* Gerae apud Variscos, ubi ejus pater mercaturam exercebat. Mature jam in puero insignis, qua ad litterarum studia ferebatur, animadvertebatur cupiditas idemque, ex quibus fontibus haurienda esset omnis solidioris [2]) doctrinae cognitio, mature perceperat. Contigerat enim ei in patriae urbis gymnasio Rutheneo praeter gymnasii directorem *Hauptmannum*, virum clarissimum, egregius doctor *Zeibichius*, qui cum ipse esset veterum linguarum et amantissimus et peritissimus, ad earum studia pueros, qui ex ejus ore pendebant, mirifico quodam lenocinio pellicere et incitare solebat. Postquam igitnr hujus

---

[2]) *Exquisitoris* s. *reconditioris doctrinae*. Jam supra observavimus.

egregii viri consilio, auctoritate et disciplina usus accuratiorem tam graecae quam latinae linguae cognitionem sibi paraverat, tanto studio tantaque animi alacritate veteres scriptores terere [3]) et tractare coepit, ut jam puer in iis habitare videretur. Nec id ego fando ab aliis accepi, sed ipse hujus rei testis factus sum. Nam cum ego abhinc annos triginta et unum e scholae Portensis (cui Deus faveat!) disciplina egressus una cum amico meo *Boettigero* in patriam redirem, ego jam tum Gerae, ubi aliquot dies commorabar, non sine magna voluptate veni in ejus notitiam. Vix satis admirari potui cum judicium, quod ille jam puer de litterarum studiis ferebat [4]), tum ipsam, quam jam contraxerat cum Graecis Latinisque scriptoribus, familiaritatem [5]). Imprimis me tum cupidissime percontabatur de rebus ad scholam Portensem spectantibus; et postquam ei exposueram, quomodo ferveret in schola Portensi veterum scriptorum legendorum studium et quam egregie illud praestantissimorum librorum, qui liberaliter alumnis Portensibus

[3]) *legere.* *Terere librum* non recte ea sententia usurpari jam observavimus; multo minus *terere scriptorem* ita dici posse facile apparet.

[4]) Ex iis quae *Wunderus* in libro de Cod. Erfurt. Cic. p. CXL. disputavit satis constat hodie non latinum esse si quis dicat *judicium ferre.* Fuit quidem, qui id defendi posse arbitraretur loco *Cic.* orat. in tog. candid. p. 525 Orell., sed non recte id fieri nuper demonstravit *Klotz.* in Jahns Jahrb. d. Phil. VIII. Jahrg. 23. Bnd. II. Heft. p. 211.

[5]) Est una earum locutionum, quas hodie vel in elegantiarum loco habent. Sed nullus veterum dixit *familiaritatem contrahere,* multo minus *cum scriptore.* Unus *Cic.* locus de Off. I. 27. 53, quem ad eam probandam afferunt, quam nullam vim habeat, intelliges ubi proprius inspexeris. Verba sunt haec: *Multa sunt civibus inter se communia; forum, fana, porticus, viae, leges, jura, judicia, suffragia, consuetudines praeterea, et familiaritates, multisque cum multis res rationesque contractae.*

e bibliotheca publica suppeditari soleant [6]), usu et copia adjuvaretur et ejusmodi alia, e vestigio Rutheneum cum schola Portensi commutandi capiebat consilium, nec nisi a patre ab eo exsequendo detineri poterat. — Videtis igitur, *juvenes carissimi*, qualis *Lentzius* fuerit puer et quales jam in scholis esse soleant, qui ultra vulgus sapere et caput aliquando inter viros doctos extollere cupiunt. Scilicet omnis vera et solidior doctrina fundamentis, quae in scholis jaciuntur, nititur. Fundamenta autem non eam, quae in grammatica tantum veterum linguarum cognitione versatur, intelligo scientiam, sed studium illud foecundissimum, quod in ipsa veterum scriptorum lectione ponitur. Nam quidquid est litterarum, ex antiquitatis fontibus fluxit, et quidquid est disciplinarum, earum quaeque, quod sequatur, praestantissimum in antiquitate exemplum propositum habet. Qui igitur ex fontibus limpidissimis, e quibus omnia fere derivata sunt litterarum genera, primos quasi haustus in schola trahit, qui contemplando et percipiendo ea, quae vere pulchra sunt, sensum pulchri acuit, qui res et sententias in veterum scriptoribus consignatas studiose investigat et arripit, ne multa, qui assidua veterum scriptorum lectione bene saturatum, munitum et praeparatum pectus [7]) ex schola secum in academiam reportat, is in quavis, quam sibi tractandam sumet, disciplina excellet et ad omnem viri docti laudem atque gloriam comparandam longe erit instructissimus. Hinc saepe viri summi et doctrinae laude celebratissimi se omnem doctrinam suam, imo omnem

---

[6]) Latinitas postulat imperfectum *solerent*. Doer. quum praesens poneret, de liberalitate cogitavit, quae eo ipso tempore, quo haec scribebat, etiam nunc locum habebat, sed haec non est proborum scriptorum ratio. Vid. *Hand.* Theor. d. lat. Stils p. 217.

[7]) Num *pectus* saturatur? num saturatur *lectione*? Vix credo. Qui simile aliquid habet, *Cic.* de divin. I. 30, vide quid addiderit: *Pars animi saturata bonarum cogitationum epulis.*

vitae jucunditatem maturiori et prudenter in scholis institutae veterum scriptorum lectioni debere publice [8]) professi sunt. — Sed redeamus ad *Lentzium*. Is igitur, cui omnem liberalem ingenii cultum omnemque disciplinam atque eruditionem e graecis latinisque scriptoribus petendam esse persuasum erat, non prius e Rutheneo discessit in academiam, quam se diligentissima veterum scriptorum lectione rite initiatum atque innutritum sentiebat. Imo non legerat tantum veteres scriptores, sed etiam ad eos observationibus suis illustrandos operam contulerat.

Talis erat, et sic exegerat curriculum scholasticum *Lentzius* noster, cum ad litterarum humaniorum [9]) studia ulterius persequenda in academiam Jenensem deferretur. Ibi brevi tempore virorum doctissimorum facile sibi conciliavit amorem atque benevolentiam. Imprimis autem *Schützius*, vir et litterarum gloria [10]) et humanitate tum

---

8) Potius *palam* s. *ingenue*.

9) *Litterae humaniores* s. *studia humaniora* nulla sunt, quod adjectivum humanus hac potestate comparativum gradum non admittit. Primus observavit *Frid. Aug. Wolfius* im Museum der Alterthumswissensch. Heft. I. p. 13. Cf. *Friedem.* ad Ruhnk. Opusc. p. 284. Sunt *antiquitatis* s. *antiquarum litterarum studia*.

10) Vix credo ita genitivum jungi posse cum subst. *gloria*, ut sit in aliquo *litterarum gloria*. Deinde observent tirones hanc non *gloriam* esse, sed *laudem* s. *famam*. Permulti hodie voce *gloria* utuntur nescientes eam a veteribus ut plurimum tribui praeclaris in rem publicam meritis; libris certe editis, quibus multi jam gloriolam aliquam se captare posse arbitrantur, nemo gloriam consequitur. Verissime si non *Cicero*, at, in quo nemo non consentit, vetus saltem scriptor, in Orat. pro Marcello 8. 25. gloriam ita definiendam constituit: *gloria est illustris ac pervagata multorum et magnorum vel in suos cives vel in patriam vel in omne genus hominum fama meritorum*. Meminerint hoc qui vana gloriae nescio cujus opinione trahuntur. Apud Doer. scribas *doctrinae fama* s. *laude*.

in academia Jenensi florentissimus, tanti facere coepit *Lentzium*, ut eum non solum in domum suam reciperet et singulari ejus curae et disciplinae pignora carissima, filium et filiam, traderet, sed eundem etiam in negotiorum ad Jenenses imprimis litterarum commentarios spectantium partem et societatem vocaret. Quo quidem nihil acceptius, nihil denique ejus ingenio atque studiis convenientius atque opportunius contingere potuit. Sic enim non solum cum *Schützio* quotidie versari, de rebus doctis suaves cum eo sermones miscere, et in multis rebus ejus consilio, judicio, auctoritate regi, sed etiam ex ipsa opera, quam cum digerendis tum conficiendis novorum librorum recensionibus [11]) navabat, fructus percipere poterat uberrimos.

Postquam igitur in hoc jucundissimo quasi Musarum contubernio [12]) et in dulcissima cum viris doctis consuetudine atque necessitudine septem annos Jenae consumserat, et jam ibi cum aliis speciminibus [13]), tum *observationibus*, sub discessu amici cujusdam *in quaedam loca latinorum graecorumque scriptorum* publicatis [14]), haud vulgarem de eruditione sua exspectationem concitaverat, ut aliquando expleret, quo a pueritia flagraverat, desiderium, in academiam Goettingensem se contulit. Scilicet in legendis iis scriptoribus, quos *Heynius* doctis commentariis instruxit, tanta hujus viri admiratione et reverentia

---

[11]) Hoc loco non sunt *librorum recensiones*, sed potius *censurae*.

[12]) Si verum est quod ajunt, Musis nihil commune esse cum Marte, mittamus verbum militare. Eodem nomine displicet, quod, qui disputatione inter se certant, *in arenam descendere* a nonnullis dicuntur, quae scilicet elegantia iis videtur. Sed procul absit ab humanitatis studiosis juvenibus omnis cum gladiatoribus comparatio.

[13]) Hunc pluralem vitandum supra observavi.

[14]) Scribe *editis*. *Plin.* in Epistolis illud frequentare non ignoro, *publicare epistolas, orationem;* aurea aetate nemo dixit. Quod hodie saepissime legitur in ea re *publici juris facere*, id pro nihilo habendum est.

perfusus et oppletus fuerat, ut nihil magis in votis haberet, quam ut praesens praesenti operam dare et ex ipsius ore doctrinae copias excipere atque colligere posset. Nec fefellit eum, quam de *Heynii* disciplina foverat, opinio. Sub [15]) *Heynii* enim ductu atque auspiciis non solum, ut ipse saepius gratissimo animi sensu profiteri solebat, de multis rebus rectius et subtilius judicare, sed etiam in ipsis litterarum studiis accuratius, prudentius, circumspectius versari et omnia diligentius excutere et penitius [16]) perspicere coepit. — Quam carus autem et dilectus *Heynio* fuerit *Lentzius* noster, id praeter multa alia vel litterarum, quibus venerabilis ille senex saepius eum appellare et in illis [17]) familiariter cum eo, tamquam cum intimo amico, agere solebat, satis testatur frequentia. Ad scripta, quibus in academia Goettingensi inclarescere coepit [18]), pertinent [19]) imprimis *animadversiones* in *Catulli Epithalamium Pelei et Thetidis*, quarum majorem partem, ut mihi satis constat, jam olim Gerani gymnasii discipulus chartis mandaverat, et *dissertatio*, quam, cum summis in philosophia honoribus ornaretur, *de fragmentis Orphicis ad astronomiam spectantibus* scripsit.

Anno millesimo septingentesimo octogesimo nono doctoris munus suscepit Zellae apud rerum divinarum admini-

[15]) Delenda est praepositio.

[16]) Non esse latinum jam observavimus.

[17]) Notent tirones hoc structurae genus *litterae, quibus senex illum appellare et in illis — agere solebat*; scilicet in continuanda sententia, quae inceperat a pronomine relativo, pergitur pronomine demonstrativo. Quae quidem constructio, licet veteribus scriptoribus admodum sit usitata, non raro tamen eorum editoribus offensioni fuit. Multa exempla congesta reperies apud *Stuerenb.* ad Cic. pro Arch. poet. XII. 31. *Matth.* ad eundem locum *Kritz.* ad Sallust. Jug. CI. 5. p. 540. *Kühner.* ad Cic. Tuscul. V. 3. 8.

[18]) *Famam sibi parare coepit.*

[19]) Scribe *referri debent.*

strum *Wichmannum*, cujus schola privata, quam educandis instituendisque pueris aperuerat, tum maxime floruit. — Quanta cura, quanta fide, quanta utilitate administraverit illud munus, vel inde potest intelligi, quod e pueris, quos ibi instituit, *Kniggius* quidam, cum in remotissimas terras peregre abiret, per relictum testamentum *Lentzio*, ut ei, tamquam optimo praeceptori suo, gratum animum probaret, mille thaleros legavit; et vere, quod legaverat generosus ille juvenis, tristi nuntio de ejus morte allato, accepit *Lentzius*. — Quanto studio autem, quantaque industria per septem annos antiquis scriptoribus interpretandis atque enucleandis Zellae vacaverit [20]), testes sunt libri, quos ibi scripsit atque edidit.

Sed sponte properat oratio ad vitam, quam apud nos et inter nos magna cum laude transegit. Venerat enim ad nos anno millesimo septingentesimo nonagesimo sexto, et primum quidem eo consilio, ut viro Illi humanissimo, cujus cura et impensis commentarii de rebus, quae passim in Germania accidunt, scripti evulgantur, in hoc ipso negotio operam suam commodaret. Sed postquam tres annos in communi commentariorum illorum administratione [21]) et confectione peregerat, professoris in gymnasio nostro munus, clementissime a serenissimo principe ei demandatum, anno

[20]) Non recte usurpata est haec vox. Nam, quod probe notandum, *vacare alicui rei, ut philosophiae, alicujus sermonibus* significat: *Zeit haben für etwas,* igitur: *Zeit für die Philosophie haben und diese ihr widmen.* Sic v. c. Augustus *Apolloniae vacabat philosophiae,* i. e. *er hatte Zeit zu dem Studium der Philosophie,* aliis verbis: nihil eum impediebat quominus philosophiae operam daret. Sed non simpliciter potest dici *vacare philosophiae* pro *ei operam navare.* Patet etiam non adjecto ablativo dici posse *magno studio* s. *magna industria navare alicui rei.*

[21]) *Commentariorum administratio* quae sit, non intelligas. Debebat saltem dici *in commentariorum conscribendorum opera socius fuerat.*

millesimo septingentesimo nonagesimo nono adiit et decem ultimos vitae annos in eo rite administrando consumsit. — Quid dicam de fide et summa illa religione, qua omnes ac singulas muneris partes usque ad mortem diligentissime explevit? Nam cum jam aegrotaret et impar fere esset obeundo muneri suo, contra omnes corporis molestias tanta pertinacia pugnavit, ut lectica in gymnasium nostrum se portari juberet. — Quid loquar de animi integritate, de humanitate, de benevolentia, de amore denique, quo nos omnes, ut amicos et collegas, amplexus est? Quid de animo, ad quaelibet officia praestanda promtissimo paratissimoque? Quid de honestissimo illo studio, quo vobis, *carissimi discipuli*, vestrisque rationibus consultum ivit? Non solum enim id agebat, ut in scholis publicis docta et erudita graecorum latinorumque scriptorum interpretatione animos vestros caperet, et litterarum humaniorum gustum [22] quasi vobis instillaret et propinaret [23], sed privatim quoque unicuique vestrum, quocunque modo poterat, prolixissima voluntate prodesse studebat. — Quid verba faciam de vita ejus laboriosissima et litterarum studiis intentissima? — Nam si omnia complectimur animo, quae scripsit, quae edidit, quae ne nomine quidem addito publicavit, quae ex aliis linguis in patrium sermonem transtulit, quae scripta ab aliis in litteris publicis [24]) recensuit, quae imperfecta denique et inedita reliquit (quo referendus imprimis est copiosissimus et eruditionis plenissimus in *Statium* commentarius), profecto eum omne vitae tempus, imo minimam quamque temporis particulam litterarum studiis et doctis laboribus impendisse sponte apparet. Quantum autem gnavo et severo rei alicujus studio perfici et brevi tempore disci

[22]) *Gustum* nemo ita dixit. Pone: *litterarum humanarum amorem instillare.* Omnino caveas tibi a pravo vocis *gustus* usu.

[23]) Comicis relinquendus hic usus verbi *propinandi.*

[24]) *Litterae publicae* longe aliud quid significant. Hoc loco posuerim *commentarios litterarios.*

possit, id ultimis vitae annis exemplo suo comprobavit. Nam cum ante duos annos nobilissimus, quem celsissima domus Gothana servat, antiquorum et recentiorum numorum thesaurus a serenissimo principe ejus curae et custodiae traditus et commissus esset, tanta animi contentione rem numismaticam tractare coepit, ut, quos fecisset in hac scientia progressus, docta commentatione *de Venere Paphia* paulo ante mortem scripta et typis excusa luculenter ostenderet. — Quid referam denique de insigni ejus in suos pietate, de vitae sanctitate, de caeteris virtutibus, quae hominem hominibus reddunt carissimum? — Sed, eheu! mors, optimos quosque avidioribus quasi manibus [25]) rapiens, virum optimum non quidem ex memoria nostra, in qua semper ille vigebit, sed ex oculis nostris et ex medio vitae laboriosae cursu sustulit. Jam sub fine superioris anni repente corporis viribus destitui et angustioris imprimis spiritus difficultate laborare coeperat. Ipse jam tum periculum, quod suae vitae immineret, praesentiebat. Attamen a primo illo, quo tentabatur, morbo ita certe recreatus et relevatus fuit, ut, quo nihil ei erat jucundius, de integro in hoc Musarum templo una nobiscum versari et doctoris partes, quamvis in breve tempus, exsequi posset. Sed sub initio mensis Martii multo gravior et vehementior morbus ille redibat et indies ita ingravescebat, ut tam omnium virium defectus et torpor, quam pedum tumor et ciborum, quos stomachus non amplius concoquere posset, nausea omnem ulterioris vitae spem praecideret. Ipse, ut sapiens, aequo animo mortem exspectabat. Nam cum pridie ante mortem ei assiderem, et de valetudine recuperanda bene eum sperare juberem, «noli, quaeso, mi amice,» inquit, «vana spe lactare meum animum; mortem ego, quam mihi instare video, neutiquam exhor-

[25]) Incommoda videtur haec imago. Non *avidis manibus* mors rapit aliquem, sed simplex *avidissime* satis erat.

resco, imo eam exopto; nam vita, qualem ego *nunc* traho, profecto non vita vitalis est.» Et sic ante diem vigesimum septimum mensis Martii placidissima morte obdormivit vir egregius, quem nunc omnes lugemus et qui dignus est, cujus sepulchro inscribantur hi versiculi:

Lentzius hic quamquam viridi sub cespite nuper
Deposuit fragilis corporis exuvias,
Ille tamen fama et meritis post fata superstes
Vivet, donec honor stabit, Apollo, tibi.

IV.

Oratio in memoriam Joannis Friderici Salom. Kaltwasseri

a. d. 23. Sept. 1813. in gymnasio Gothano habita.

Cum res, de qua coram vobis, *viri illustrissimi, amplissimi, collegae dilectissimi, juvenes carissimi,* nunc breviter dicturus sum, ita comparata sit, ut vel simpliciter et sine omni [1]) arte exposita sponte animos vestros advertat rapiatque, paulo fidentiore animo, quas mihi imponebat pietatis officium, oratoris partes suscepi. Renovabo enim et rite sacrabo memoriam viri, qui et nobis et vobis omnibus longe fuit carissimus. Obiit enim superiore mense insigne gymnasii nostri decus, *Joannes Fridericus Salomo Kaltwasserus* [2]); obiit collega, quem nos ceteri collegae omnes in oculis ferebamus, omnes toto animo complectebamur; obiit doctor, quem vos discipuli omnes ut virum de studiis vestris meritissimum suspiciebatis, omnes ut bonum patrem pia mente colebatis; obiit amicus, quem quicumque cum eo juncti fuere amicitiae vinculis ut hominem antiquae fidei amabant atque diligebant; obiit denique vir, quem quicunque in ejus notitiam veniebant venerabantur atque magni

---

[1]) Scribendum *sine ulla arte* s. quod hoc loco malim *sine aliqua arte.* Quod Doer. posuit, id praeter comicos nemo ausus est. Vid. *Ramshorn.* Gr. §. 159. 2. Not. 5. d. p. 574.

[2]) Natus est a. d. 22. Mart. anno 1752 patre usus *Joanne Henrico,* librorum compingendorum arti dedito, matre *Susanna Margaretha,* e gente *Boehmiana.* Mortuus est a. d. 17. Aug. anno 1813. *Doer.*

faciebant. Quo gravior igitur est jactura, quam *Kaltwasseri* morte fecimus, eo justior est dolor, quo mortuum nunc lugemus ac prosequimur. Huic autem dolori nunc indulgebimus ita, ut non tantum bona, quae perdidimus, tristi animo repetamus, sed commoda quoque grata mente perpendamus, quae post viri optimi mortem nobis percipienda restant. Reliquit enim ille nobis, tam *collega*, quam *doctor*, exemplum, quod in animos omnium, quibus obversabitur, vim omnino habere debet [3]) saluberrimam. Quis vestrum, collegae conjunctissimi, ut primum de *Kaltwassero* nostro, ut collega [4]), quaedam memorem, quis vestrum, inquam, de eo cogitare potest, quin inter multa alia in animum revocet, quid ille ad summam illam, quae nos omnes tamquam fratres junxit et adhuc jungit, concordiam contulerit, et quam prudenter, ne illa unquam turbaretur, praecaverit? In illo enim conjuncta fuerunt omnia, quibus collegarum animi conciliarentur et reverentia quadam erga eum perfunderentur. Non aliud in ore, aliud in pectore gestabat, sed libere et aperte animi sui sententiam palam faciebat. Non de aliorum laude et meritis quidquam detrahebat, sed alienus ab omni invidia modeste suum cuique statuebat pretium. Non, si quid rogaretur, tergiversabatur, sed promtissimo officiosissimoque animo, quod rogatus fuerat, exsequebatur. Non in opinione aliqua quam foverat pertinaciter persistebat, sed meliora edoctus facile sententiam mutabat. Non absentes rodebat, sed, si quid forte ei displiceret, humaniter de eo praesentes monebat. Non rerum habendarum erat cupidus, sed quas habebat lubenter cum aliis communicabat. Non, uti videbatur, hominum circulos fugiebat, sed cum ingenii

[3]) Quod praecessit *obversabitur*, exspectas h. l. *debebit*.

[4]) Offendo in usu particulae *ut*; memoro quaedam de aliquo, *ut* collega; loquor de aliquo, *ut* amico. Nisi fallor, ita dicendum: ut primum de collega Kaltw. quaedam memorem. Sola substantivi collocatione haec notio exprimenda.

sui hominibus suaviter nonnunquam, suavissime tamen, ut saepe dicere solebat, cum collegis suis vivebat. Ne multa. *Kaltwasserus* collega fuit optimus, quem nunc sublatum ex oculis quaerimus invidi. Non amplius ex ejus consuetudine fructus capiemus dulcissimos; non amplius communes cum eo in instituendis et ad virtutem conformandis juvenibus operam ponemus [5]; non amplius, quae ejus prudentia et experientia suppeditabat, consiliis juvabimur. Sed qui ex oculis sublatus est, non idem tolli et eximi potest ex nostris animis. Praesens igitur animis nostris aderit in omnibus, quae in posterum vel agemus vel de rebus ad gymnasii disciplinam spectantibus consultabimus. Praesens aderit, quotiescunque de summa illa voluntatum studiorumque consensione, qua totum collegium nostrum indissolubili fere vinculo constringitur ideoque de summa illa felicitate, quae raro alibi [6] reperitur, toto animo laetabimur. Praesens denique aderit in multis aliis, in quibus et utilissima et jucundissima nobis fuit ejus societas. Non omnis igitur mortuus est, sed post mortem quoque exemplo suo nobis proderit et ad virtutum, quas ipse exercuit, imitationem graviter nos excitabit. — Jam ea quoque, quibus *Kaltwasserus* egregie de gymnasio nostro doctor meruit, strictim attingere liceat. Functus est ille in gymnasio nostro doctoris munere per novem et triginta ferme annos [7] tanta fide tantaque prudentia et dexteritate, ut non solum, dum vivebat, egregii doctoris exemplar esset ad

---

[5]) Quid hoc est: *communes non ponemus operam?* Potius *non communem operam ponemus.*

[6]) Malim: *in aliis scholis* s. *apud alios nostrae conditionis homines.*

[7]) Bene de gymnasio nostro merere coepit inde ab anno 1775. quo primum ei *collaboratoris* munus demandatum fuit. Cum deinde in locum doctorum, qui decesserant, successisset, plus viginti annos primum locum inter gymnasii nostri professores obtinuit. *Doer.*

quod alii se componerent, sed etiam post mortem futurus sit. Cum esset graecae linguae peritissimus, ut satis testantur graecorum scriptorum ab eo aut editorum aut in patrium sermonem translatorum opera, haec una ei in scholis nostris demandata fuit provincia, ut in superioribus classibus scriptores graecos interpretaretur et explanaret, in inferioribus vero graecae linguae fundamenta traderet. Quam quidem susceptam provinciam quanta diligentia quantoque successu ille administraverit, non tantum vos discipuli, qui nunc hic adestis, tenetis, sed idem omnes illi, qui ante vos in gymnasio nostro graecae linguae operam dederunt (quorum numerus haud sane exiguus est), satis comprobant. Mira imprimis et peculiaris ei erat ars atque facultas prima graecae linguae elementa ita puerorum animis inserendi, ut inserta brevi tempore radices agerent. Hanc quidem artem sive, ut vulgo appellant, methodum [8]) quam jure *Kaltwasserianam* dixeris jam plures imitati sunt et in posterum quoque imitabuntur, atque ita hac quoque re vitam, ut ita dicam, producet mortuus [9]). — Sed ad hanc egregiam docendi artem accede-

[8]) Discant tirones substantiva illa *exodus, periodus, methodus,* quae in grammaticae elementis didicerint, sibi potius dediscenda esse; nullus enim eorum est usus in latina lingua.

[9]) Memoratu non indignum videtur, etiam *Ernestum* ducem, quo erat graecarum litterarum amore captus, vel provectiore aetate usum esse Kaltwassero, quo duce graecas litteras disceret. Quam praeter ceteros dux magistrum suum perofficiose observaverit, discimus ex suavi ejus rei narratione apud *Jacobsium* (in Vermischten Schriften Vol. I. p. 65). Nam quum Kaltwasserus, ut Ernestum graecis litteris instrueret, primo mane vel hiemis tempore arcem in qua habitabat dux (*Friedenstein* nominatur) non sine molestia quadam ascendere soleret, factum est aliquando, ut, quum Kaltwasserus amiculum suum quaereret in procoetone repositum, ejus loco aliud inveniret pretiosius, pelle intus munitum. Quod officii genus, quum in duce esset rarissimum, permagnam Kaltwassero attulit voluptatem.

bant aliae virtutes, quibus omnium juvenum animos reddebat sibi addictissimos. Erat severus, sed idem severitatem ita temperabat lenitate, ut ab iis ipsis, quos severe tractaret, amaretur. Erat vel potius videbatur austerus et difficilis, sed idem, ut sciunt omnes, quibus eum accuratius nosse contigit, erat mitissimus facillimusque. Ut paucis me expediam, erat vir bonus, aequus, constans, integer vitae, a vitiis, quibus alii contaminantur, purus. Quid igitur mirum, si juvenes, non magis doctrinae admiratione quam ejus virtutum amore percussi, animum ei probaverunt et pietate et reverentia plenissimum? Quodsi sunt, qui pariter a discipulis suis et diligi et amari cupiant, nonne virtutes, quibus *Kaltwasserus* juvenem animos cepit, sectari debent? ipse vero nonne hoc virtutum incitamento post mortem quoque bene merere perget? — Haec autem de virtutibus, quas mors extinguere nequit, cogitatio non tollere quidem, sed lenire et compescere quodammodo potest dolorem, quem de collegae optimi et doctoris amatissimi morte suscepimus. Jam diu eam nobis imminere videbamus; jam diu gravem illam, quae nobis perferenda esset, jacturam praecipiebamus; sed, dum inter spem metumque suspensi trepidabamus, spes fere, quam de longiore illius vita fovebamus, metum superabat. At vanam et inanem fuisse spem, morbus deinde, qui in dies ingravescebat, docuit. Quotiescunque enim eum adibamus [10]), toties ejus corpus magis magisque tabescere et insanabili plane morbo, cujus causa in corruptis et pituita obductis et interclusis visceribus latebat, sensim consumi intelligebamus. Ipse praesentiebat vicinam mortem; ipse de morte, tamquam de re, qua nihil quicquam sibi contingere posset felicius, cum omnibus, qui eum visebant, loquebatur. Imo aegre ferebat, si quis ejus animum ab instantis mortis cogitatione ad alia avertere vellet. Quid?

[10]) Collegae aegrotantem Kaltw. non *adibant*, sed *ejus visendi causa veniebant* s. *eum intervisebant*.

inquit, num invidetis mihi felicitatem, qua ex hoc corporis carcere et ex hoc rerum miserrimarum turbine animus meus libere evolaturus est eo, ubi aeterna pax eum excipiet? — Cum aliquot diebus ante ejus mortem unus collegarum ad aegrotum venisset eumque ex somno, quo oppressus fuerat, experrectum, quomodo se haberet, interrogasset, respondit, quod olim *Gorgias Leontinus* pariter ex alto somno paulo ante mortem experrectus familiari cuidam ex eo, quid ageret, quaerenti respondisse dicitur: *ἤδη με ὕπνος ἄρχεται παρακατατίθεσθαι τῷ ἀδελφῷ* h. e. jam somnus suo me fratri tradere incipit. Et re vera paucis diebus post placida morte, ne iis quidem, qui adstabant, sentientibus, *Kaltwasserus* obdormivit.

Plangite, collegae, pia pectora plangite palmis,
  Mors avida rapuit gaudia nostra manu!
Sed reputate simul, tumulo quae nescia condi
  In memori nobis condita mente manent!

Plangite, disciputi, pia pectora plangite palmis,
  Delicias vestras abstulit atra dies!
Sed bona doctoris, quae mente reposta tenetis,
  Tollere non vobis mors violenta potest!

V.

Oratio saecularibus gymnasii Gothani

habita a. d. 21. Dec. 1824.

Si ad dies faustos laetosque, quos in hac vita agimus, referendi sunt imprimis ii, quibus insignia, quae Deo optimo maximo debentur, beneficia grato animo recolimus, hic profecto dies, quo gymnasii nostri primordia celebramus, non solum vobis, qui nunc in hoc templo adestis, sed etiam multis absentibus, qui olim in eo tam virtutis praeceptis, quam accuratae doctrinae initiis imbuti sunt, longe debet esse laetissimus. Et vere hic dies est laetissimus. Vel solemnior hujus templi apparatus, multo magis tamen conspectus hujus coetus splendidissimi pectora ad laetitiam rapit. Adest, qui celsissimi ducis personam et dignitatem repraesentat, vir generosissimus, adsunt viri excellentissimi, qui firmo praesidio gymnasium nostrum tuentur et quidquid ad ejus honorem tam sustentandum quam augendum spectat fieri et institui jubent; adsunt viri amplissimi, qui favore, gratia, benevolentia sua gymnasium complectuntur; adsunt viri doctrina et gloria conspicui, qui gymnasium in oculis gestant [1]; adsunt veteres discipuli, quibus adolescentiae strenue et feliciter intra haec moenia peractae jucundissima memoria est; adsunt denique multi alii, quos amor,

---

[1]) Est hoc Terentianum, Eun. III. 1. 12. Cicero habet *in oculis ferre*. Sed neque hoc posuerim. Homines in oculis ferimus non res.

quo gymnasio nostro addicti sunt, ad diem laetissimum una nobiscum celebrandum in hoc templum bonis litteris sacratum pedem jussit inferre. Agimus vobis pro hac vestra praesentia honorificentissima gratias decentissimas, uti maximas gratias agimus absentibus quoque, qui mentem suam, qua nobis adessent hodie, tam elegantissimis carminibus, quam epistolis latine scriptis et ad nos missis humanissime et luculentissime declaraverunt [2]).

Omnis autem, in qua instituenda et peragenda nunc cummaxime versamur, celebratio principium capere debet a Deo et in Deo desinere. Etenim si non per exiguum temporis spatium, sed per trecentos annos ad gymnasii nostri incunabula hodie recurrimus et diligenter nobiscum reputamus, quae per tam multos annos in gymnasii nostri gratiam et salutem non solum coepta et tentata, sed etiam perfecta et profligata [3]), quorum illud opibus et subsidiis

---

[2]) Misit nobis *Passovius*, Vratislaviensis, odam latinam, Horatii sublimitatem spirantem; *Wissius*, Rinteliensis, epistolam, hexametris scite compositam; *Krügelsteinius*, Ohrdruffensis, elegiam latinam eleganter concinnatam etc. *Doer.*

[3]) Hoc loco observent tirones haud minimam latinae dictionis elegantiam in eo esse positam, ut verba inter se apte jungantur et copulentur. Veluti quod h. l. Doeringius scripsit *perfecta et profligata*, id veterum nullus, credo, dixit. Cujus rei causam si quaeris, ex ipso horum verborum usu ea repeti potest. Nam *profligare quid* significat magnam rei partem conficere, sed *perficere aliquid* est rem absolvere et ad exitum perducere. *Cic.* Tusc. V. 6. 15. *Profligata jam haec et paene ad exitum adducta quaestio est.* Apud *Liv.* XXI. 40. legitur *bellum profligare ac profligatum conficere.* Notatu digna sunt verba quibus in *Monumento Ancyrano* usus est ipse *Augustus* (tab. prim. a dextra lin. 13., *Suet.* ed. Wolf. Tom. II. p. 373): INTER AEDEM CASTORIS ET AEDEM SATURNI COEPTA PROFLIGATAQUE OPERA A PATRE MEO PERFECI. Patet igitur utrumque verbum non per copulam jungi, multo minus *profligare* post *perfici* poni posse.

sustentatum et ad hunc, quo nunc exsplendescit, honorem evectum, quo denique praesidio usque ad hunc diem integrum et incolume servatum sit, quis est, qui non aperta et clare expressa divinae providentiae deprehendat vestigia? Nonne igitur, dum exordimur celebrare diem memoriae gymnasii nostri conditi sacrum, ante omnia alia animos extollere debemus ad eum [4]), qui bonorum ad felicitatem gymnasii spectantium et auctor et dator [5]) et servator est? Nonne ante omnia omnium pectora incalescere et gratissimo sensu accensa ad pias gratias ei, a quo profecta est omnis gymnasii nostri faustitas [6]) et prosperitas, agendas persolvendasque incitari et auferri debent?

Respice, dicamus, Deus Optime, respice grates,
Quas pia fixa polo fundit ad astra cohors.
Non onerata quidem fumant altaria thure,
Splendida nec ferimus munera vota tibi;
Ara sed in memori, pietas ubi fervet et intus
Inflammat sensus, pectore structa calet.
Surgere tu quondam divina voce jubebas
Templum hoc, doctrinae quod foret usque sacrum;
Surrexit, stetit, et tria tam per saecula splendens
Extulit insigni nobilitate caput.
Hoc, Deus, omne tuum est, has nos celebrabimus omnes
Ore pio laudes, posteritasque canet.

Post actas Deo Optimo Maximo pias gratias sponte deflectit oratio ad principes, ad viros illustres, et ad docto-

---

4) *Extollendi* verbum h. l. minime aptum. Nam sicubi dicitur *extollere animum* (locus *Cic.* in Partit 22. 81. dubitationi patet), longe aliud quid significat. Ita dicendum erat: *animos convertamus ad cogitationem dei.*

5) Solis poetis relinquenda vox.

6) *Faustitas* semel et nove est dicta ab *Horat.* Od. IV. 5. 18. *Nutrit rura Ceres almaque Faustitas,* ubi videtur esse dea, quam in quotidiano sermonis usu *Felicitatem* nuncupabant. Vid. *Orell.* ad h. l. Sed, quae sunt verba *Ruhnkenii* ad Muret. Tom. I. p. 320, *semel aut rarissime dictis abstinere prudentius est, quod saepe accidit, ut talia melioribus libris*

res, quibus deus tamquam instrumentis et opificibus [7]) ad exstruendam in his terris bonarum litterarum officinam usus est. Parentes, ut ita dicam, gymnasii nostri, cujus natalem hodie celebramus, fuerunt celsissimi principes *Fridericus Sapiens* et *Joannes Constans*. Hi duo principes cum vidissent efflorescentes tum humanitatis litteras viam puriori doctrinae Christianae reducendae aperuisse et tenebras, quibus obscurabantur et obcaecabantur hominum animi et ingenia, luce sua dispulisse, immo vi sua et potentia salutari episcopi Romani tyrannidem labefactasse et infregisse, sapienter animum ad ea instituenda, quibus bonarum litterarum studia adjuvarentur, sustentarentur, propagarentur et magis magisque accenderentur, adjecerunt. Fraterna igitur unanimitate hi principes inter se juncti et *Myconii*, viri egregii, consiliis hoc in negotio regi se passi ad hoc gymnasium, quod nunc aeternae eorum gloriae monumentum exstat illustrissimum, tam excitandum quam instruendum contulerunt, quae poterant, omnia. Jam vero, cum probe intelligerent, prosperum rei inchoatae successum pendere imprimis e viri, accurata bonarum litterarum scientia instructi, qui novam scholam regeret, sollertia, industria, prudentia et rei scholasticae scite et apte tractandae peritia, Myconii auctoritate et commendatione permoti virum laudatissimum *Basilium Monnerum* rectorem scholae praeesse jusserunt. Hunc primum rectorem *Wilkius* [8]), post centum annos gymnasii rector decimus, hac laude ornat: « *Basilius Monnerus*, *scholae hujus primus instaura-*

---

inspectis vitiosa reperiuntur, adde, quod in Horatianum illud cadit *aut ut de vera eorum potestate dubitatio moveatur*.

7) Quod deus doctoribus ut *opificibus* usus esse dicitur, id valde displicet; alterum vero quod iidem *instrumenta* vocantur, adeo abhorret a latinitate, ut ferri omnino non possit. Ad consilium aliquod exsequendum nobis opus sunt *ministri* et *adjutores*.

8) *Suad. Wilk.* Orat. XXXII. p. 889. *Doer.*

tor, Wittemberga missus, industriosissimus fuit; qui, exhaustis Pontificiorum sentinis, artium linguarumque limpidissimos fontes in haecce auditoria tanta dexteritate induxit, ut tanto plus ipsi hoc gymnasium debeat, quanto difficilius fuit ex profundissimis tenebris artes eruere atque illustrare, quam erutas et illustratas propagare et conservare.»

Haec prima quasi fuit gymnasii nostri infantia, cujus educationi cura deinde impensa est circumspectissima. Post *Basilium Monnerum* inde ab anno millesimo quingentesimo trigesimo quinto usque ad annum millesimum quingentesimum nonagesimum secundum rectoris munere in gymnasio nostro functi sunt hi: *Laurentius Schipperus, Georgius Merula, Pancratius Sussenbachius, Cyriacus Lindemannus, Paulus Schmidius, Joannes Meyerus, Joannes Dinkelius et Joannes Helderus*, quorum plures, quantum in ipsis fuit, bene de gymnasio meruerunt. Prae caeteris autem in his eminet *Cyriacus Lindemannus*, vir, cujus nomen et nobis et posteris venerabile sit, dignissimus. Nam ad accuratam, qua pollebat, veterum linguarum scientiam et doctrinae copias, quas sibi collegerat, lautissimas accedebant virtutes pulcherrimae: humanitas, animi candor et integritas, modestia, prudentia et egregia juvenum animos capiendi et tractandi sollertia. De eo haec sunt *Wilkii* [9]) verba: «*Cyriacus Lindemannus vir omnium humaniorum virtutum exemplum; hic pietatis, eruditionis, modestiae imago; hic Graecarum Latinarumque litterarum promus condus; hic pueros informandi, hic erudiendi adolescentes, hic docendi juvenes summus et peritissimus artifex. In hoc uno omnia exstitere, quaecunque in bono et fideli praeceptore possunt a quoquam requiri.*» Verum enim vero vita hujus rectoris optimi et doctoris praestantissimi inci-

[9]) *Suad. Wilk.* Orat. VIII. p. 139. *Doer.*

debat in tempora turbulentissima et bonarum litterarum studiis gymnasioque nostro infestissima. Nam civitas nostra, cujus res jam belli Schmalcaldici exitu admodum accisae erant, ex quo dux *Joannes Fridericus Medius* ab omnium nequitiarum architecto *Grumbachio* in fraudem se induci passus fuerat, omnia mala, quae cum saevo Martis negotio conjuncta sunt, experta est. Urbs enim nostra hostibus cingi; per quatuor ferme menses oppugnari; dedi; post deditionem annonae caritate et fame premi; denique morbo pestifero affligi et consumi [10]). Fieri igitur non potuit, quin haec publica calamitas, hic tumultus, hic furor bellicus, haec undique imminentia pericula otium, quod amant Musae, ex his quietis sedibus exturbarent, juvenes a bonarum litterarum studiis abstraherent, eorum animos corrumperent et ad ignaviam atque ferociam traducerent. Neque id mirum, cum omnia, quae firmaverant, munierant et continuerant adhuc hoc Musarum contubernium [11]), turbata, dissoluta, disjecta et disperdita essent. «*Hi ipsi*, ut commemorat *Wilkius* [12]), *parietes non sedibus consistebant; cathedra haec paene deserta, vacua, eversa et disturbata.*» Hac externa igitur violentia [13]) gymnasii status, cum mox et disciplina labi, et morum honestas contaminari, et juvenum animi efferari coepissent, tam graviter concussus et labefactatus est, ut vix fulcra, quae illi sustinendo satis firma essent, reperiri possent. Nec proximi duo post *Lindemannum* rectores, *Schmidius* et *Meyerus*, in reficiendo male affecto gymnasio multum efficere potuisse videntur, sive quod muneri suo dextre, prudenter et perite gerendo impares erant, sive quod vulnus altius in-

[10]) Posuerim equidem *uri*.

[11]) Saltem dicendum *hanc Musarum sedem*.

[12]) *Suad. Wilk.* Orat. XX. p. 500. *Doer.*

[13]) *Externa violentia* non latinum videtur; deinde *violentia* non concutitur *status*. Scribe: *in hac tanta rerum omnium perturbatione.*

flictum breviore tempore sanari non poterat. Sed duce *Joanne Guilielmo* subsequentes rectores *Dinkelius* et *Helderus* (praecipue hic, nam ille per duos annos tantum rectoris munus administravit) gymnasio in meliorem statum restituendo bono cum successu dederunt operam. Jam crescere discipulorum numerus; discendi cupiditas excitari; cultiores mores redire; adolescentes doctiores et instructiores ex hac umbra in solem et pulverem prodire; ne multa gymnasium de integro efflorescere, ad veram sibi comparandam laudem summopere eniti, et hoc studio et hac via ad meliora usque et faustiora tempora progredi. Faustissimis enim auspiciis dux celebratissimus *Joannes Casimirus* Gothanae civitatis imperium anno millesimo quingentesimo octogesimo septimo et capessivit et usque ad mortem, quam anno millesimo sexcentesimo trigesimo tertio obiit, insigni gloria constanter obtinuit. Hic dux cum nihil antiquius haberet, quam ut tam rerum divinarum quam litterarum elegantiorum cultum et justam rerum civilium administrationem adjuvaret, fulciret, muniret et certis legibus atque institutis moderaretur, tot et tanta in civitatem nostram contulit beneficia, ut singulas ejus virtutes et merita enarraturo peculiaris libellus conscribendus sit. Itaque breviter tantum attingam ea, quae ad gymnasium nostrum pertinent. Quam vere paterno animo dux optimus *Joannes Casimirus* gymnasii nostri rationibus consuluerit, saluti ejus consiliis suis prospexerit, et malis, quibus illud laboraret, praesente medela [14]) succurrere studuerit, e pluribus, quae id testantur, pauca delibabo. Ipse princeps loca, ubi scholae habebantur, adibat; ipse de iis, quae viderat et audiverat, sententiam suam pronuntiabat; ipse, quae rectius fieri possent, secum agitabat; ipse denique de eventu eorum, quae edixerat, anquirebat. Jam cum multi tum

[14]) Haec vox a *Justino* demum et a scriptoribus, qui ei aetati suppares sunt, usurpati coepta est. Pone *medicinam*.

discipuli ex terris exteris quoque in gymnasium nostrum deducerentur, et eorum numerus auctior atque auctior fieret, idem princeps non solum gymnasium in plures classes descripsit, verum etiam *Gymnasii illustris* titulo insignivit. In ejusdem *sapientissimi* ducis imperium incidunt gymnasii *saecularia prima*, quorum celebrationem ille non solum quovis tam debitae pietatis quam publicae laetitiae genere institui et peragi jussit, sed iis praesens quoque interfuit. Egregie autem sapientissima principis consilia adjuvit et effecta dedit [15]) egregius tum gymnasii rector *Wilkius*, cujus praeclaras virtutes meritis laudibus peculiari oratione celebravit *Weitzius*, illius discipulus, qui tam presse praeceptoris sui vestigiis institit, ut eum postea in ipso rectoris munere sequeretur. Addam in *Wilkii* laudem locum ex programmate quodam Jenensi [16]), ubi inter alia haec: »*Tanta est Wilkii pietas et virtus, tanta eruditio et dicendi copia in omni linguarum genere, tanta diligentia et felicitas in juventutis litterariae moderandis studiis, ut scholam sibi commissam, quam antecessorum vigilantia marmoream reddiderat, ipse prorsus argenteam et auream effecerit, et, quasi signo sublato, ejus ad frequentiam non tantum omnem viciniam, sed etiam procul dissitas regiones acciverit.*« Nihil igitur adjiciam, nisi singularem illam laudem, qua *Wilkius* novam bibliothecam scholasticam colligendo et adornando (veterem enim absumserat belli calamitas) vel maxime se commendavit posteris. *Wilkium* in rectoris munere excepit, ut modo diximus, *Joannes Weitzius*, vir veterum linguarum probe gnarus et tam Terentii editione, quam curavit, quam longiore carmine, quo ille primis gymnasii Gothani saecularibus conrector conrectores gymnasii enar-

[15]) Scribe *ad effectum adduxit.* Quod Doer. habet, id atque similia frequentant comici, *effectum dare, reddere, tradere.*

[16]) Repetitum est hoc programma in *Suad. Wilk.* p. 803—808. *Doer.*

ravit atque recensuit, aliisque latine scriptis notus. Sed hoc rectore, sive quod carebat praeceptoris sui *Wilkii* prudentia, perspicientia, dexteritate, animi vigore et sollertia, sive quod bellum tum per triginta annos saeviens funestissimarum Musarum sacra profanabat et contaminabat, gymnasium Gothanum a dignitate sua recedere et in deterius ruere coepit. Et in hoc misero fere statu erat, cum Deus Optimus Maximus sidus salutare, quod non solum omnes terras Gothanas, sed etiam gymnasium nostrum novo lumine illustraret, recrearet et reficeret, exoriri et prodire jussit. Prodiit namque dux Saxoniae *Ernestus*, quem jure meritoque deinde cognomine *Pii* insignitum nos omnes *pio* gratoque animo veneramur. Ille enim, si quis unquam alius princeps, rerum per triginta et quinque annos gestarum gloria nomen suum immortalitati consecravit. Exstat de ejus vita et divinis ejus virtutibus singularis liber, quem magna diligentia confecit *Gelbkius*, cujus viri mortui quoque recens adhuc et jucunda memoria est. Sed ne ea quidem, quibus *Ernestus Pius* immortaliter de gymnasio nostro meritus est, capere et complecti potest simplex oratio. Nam si omnia ac singula commemorare velim, quae divus *Ernestus* ad gymnasium nostrum a deteriore in meliorem statum revocandum, rectius instituendum, ornandum, amplificandum et ex humilitate ad dignitatem evehendum non solum suscepit, sed etiam perfecit, profecto, ut canit Virgilius [17]), *ante diem clauso componat vesper Olympo.* Itaque rerum ad gymnasium nostrum spectantium, ut idem Virgilius [18]) loquitur, *fastigia* tantum *sequar.* Vix adierat *Ernestus* summos imperii honores, cum statim animum ad labantem et jam jam desidentem gymnasii statum advertit, et de firmioribus, quae ei substerneret, fundamentis cogitavit. Cum igitur

---

17) Aen. I. 374.
18) Aen. I. 241.

intellexisset, *Weitzium* rectorem gravem annis et viribus exhaustum non eum esse, qui ipse torpens torporem ex gymnasio excutere posset, relictis jam aliis omnibus virum non solum aetatis integritate et animi vigore praevalentem, sed etiam Musarum sacris rite initiatum et boni rectoris facultatibus atque dotibus bene instructum, cui regendum traderet gymnasium, exquirendum esse judicavit. Nec frustra talem princeps exquisivit. Invenit enim *Andream Reyherum*, virum explendis boni rectoris partibus aptissimum. Hujus igitur viri gnava opera, indefesso studio, generoso animi fervore, doctrina haud vulgari et opportunis consiliis ad gymnasium ab indignitate ad dignitatem et ab infirmitate ad firmitatem extollendum per triginta et duos annos usus est. Sapientia autem, qua omnia moderatus est *Ernestus*, perspicitur imprimis ex eo, quod non subito, non cursu concitatiore, sed pedetentim, circumspecte, et gressu prudenter temperato ad finem propositum pervenire studuit. Idem in re semel suscepta firmissimo persistebat animo, nec objectis impedimentis et difficultatibus ab ea perficienda se retineri aut avocari passus est. Hinc per omne, quo imperabat, tempus quidquid utile et salutare videbatur esse gymnasio non decrevit tantum, sed etiam exsecutus est; hinc factum est, ut *Ernestus* sub ultimis imperii sui annis gymnasium tam discipulorum numero mirifice aucto quam fama apud exteros videret celebratissimum. Bona fortuna accidit, ut, vivo etiamtnm duce *Ernesto pio*, *Reyhero* in rectoris munere succederet *Hessius*, vir ad delatum sibi munus egregie praeparatus. Is igitur ea, quae divus *Ernestus*, duobus annis post susceptum ab *Hessio* rectoris munus mortuus, sapientissime instituerat, viriliter tueri, servare et propagare studuit. Quemadmodum autem *Hessius* rectoris munere prudenter, donec animi corporisque viribus adjuvabatur, administrato bene de gymnasio nostro meruit, ita idem morti propinquus pietate vere paterna omnes fortunas

suas gymnasio per testamentum sacravit, et hac re ipse sibi exegit monumentum, quod nunquam facile invadet absumetque temporis injuria. Nam, ut multa alia silentio praetermittam, quibus ille obstrinxit sibi posteros, primum amplam pecuniae summam sive sortem, cujus usuris sex bene morati et diligentes discipuli sustentarentur, post mortem suam in foenore poni jussit; deinde prima fisci, e quo viduarum a gymnasii doctoribus relictarum inopia levaretur, fundamenta jecit; tum totam bibliothecam suam non solum bibliothecae scholasticae inserendam curavit, sed etiam pecuniam, qua novi quotannis libri compararentur, legavit; denique multorum aliorum paupertati liberalissime prospexit. Quae quidem omnia quis secum reputare potest, quin totus ejus animus gratissimo erga *Hessium* sensu perfundatur? Cum pristinus *Hessii* animi vigor extremis ejus vitae annis languere et corporis vires labefactari frangique coepissent, non amplius ille ut ante rectoris vices et officia obire, nec ea, quae antea gymnasio praestiterat, praestare poterat. Hinc repetenda videtur causa, ex qua tam in disciplinae severitate, quam in omni juventutem instituendi ratione non amplius tum sibi constaret gymnasium. Sed idem de integro expertum est singularem divinae providentiae gratiam. Accessit enim ad Gothanae civitatis gubernaculum dux egregius *Fridericus II.*, avi sui *Ernesti Pii* virtutes referens. Vix dici potest, quanto studio ille princeps, quanto animi ardore et quanta sapientia ea, quae in gymnasio nostro deteriora facta fuerant, in meliora mutare et ruinam minantia erigere et firmiora reddere tentaverit. Cesserunt autem ex voto omnia praecipue inde ab eo tempore, quo gymnasii habenas tractare coepit rectoris munere ornatus *Vockerodtius*, vir apprime doctus et ad scholam strenue et fortiter moderandam natus atque factus. Hinc paucis annis tanta in gymnasio nostro ex omnibus undique regionibus congregata est discipulorum copia, quanta illud neque antea neque post completum est.

Grato igitur animo hodie agnoscimus, ut olim quoque agnoscebantur, hujus eximii rectoris virtutes et merita, quae tamen multo majora et efficaciora futura fuisse videntur, nisi ille ferventioris et calidioris animi impetu, quo ad rixas, altercationes, contentiones, imo ad fanaticum furorem se abripi patiebatur, multorum animos a se abalienasset, et sic ipse rerum, quas gerebat, progressibus impedimenta objecisset. Eodem rectore secunda gymnasii saecularia ad praescriptas a duce optimo *Friderico II.* caeremonias per duos deinceps dies celebrata sunt.

Restat igitur, ut breviter enarremus, quae sors inde a saeculi secundi fine usque ad tertium nunc feliciter exactum gymnasio nostro contigerit. — Fatali quadam rerum conjunctione accidit, ut Gymnasium nostrum pluries [19]) ab auctoritate et dignitate, ad quam tam paterna optimorum principum cura, quam gnava bonorum doctorum opera adscenderat, aut iniquiorum temporum aut ingravescentis socordiae culpa ad humilitatem et ignobilitatem relaberetur. Jam aliquot annis ante *Vockerodtii* obitum gymnasii fama senescere et numerus discipulorum decrescere coeperat, nec *Joannes Henricus Stussius*, gymnasii post *Vockerodtium* rector, erat is, qui gymnasii malis ulterius usque serpentibus et latius manantibus modum ponere posset. Erat quidem *Stussius* vir doctus et in bonarum litterarum studiis bene versatus, sed adhibendis illis remediis, quibus discipulorum corruptela morum sanaretur, et probandae illi efficacitati, qua restitueretur disciplinae severitas, impar et minus idoneus. Huc accedebat assidua quae inter rectorem et ejus collegas gliscebat discordia, tum effeta jam et imbecillior plurimorum doctorum aetas, denique, quod gravissimum est, manca et sinistra juvenes erudiendi ratio. Rebus ita comparatis vel sapientissima consilia, quibus laboranti gymna-

---

[19]) Ex uno loco *Caesaris* de bell. civ. I. 75. afferunt; cautius igitur abstineas. Cf. *Grysar.* Theorie des lat. Stils. p. 350.

sio consultum volebant superiores, non multum efficere poterant. Et in hoc statu misero vel ut ita dicam lethargico sopitum jacebat gymnasium, dum exoriebantur laetiora illa tempora, quibus nova lux divinae providentiae beneficio ei affulgere coepit. Nam splendor virtutum, quibus *dux celsissimus Ernestus II.* ad terras Gothanas illustrandas prodiit, inductas gymnasio quoque nostro tenebras abegit atque fugavit. Hic igitur princeps, ipse bonarum litterarum et amantissimus et peritissimus, cum gymnasium, quod antea tam pulchre floruerat, jam fere defloruisse intellexisset, novis alimentis, quibus illud recrearetur, ei succurrendum esse censuit. Sed ne quid dissimulemus, perspexerat ille misere affecti gymnasii statum jam ante susceptum imperium. Itaque jam princeps juventutis auctor atque suasor exstitit, ut de viro docto atque idoneo, qui praeficeretur male se habenti gymnasio, vir summus et celebratissimus *Ernestius* Lipsiensis in consilium vocaretur. Nec ille rei sibi demandatae defuit. Commendavit enim virum, cujus nomen non sine intima animi reverentia pronuntiare possum, *Joannem Godofredum Geifslerum.* Hic erat profecto is, qui vepres et dumeta ex via, quae de integro sternenda et munienda esset, elidere et evellere posset. Sed conflictandum ei fuit cum multis difficultatibus. Quamquam enim *dux optimus* nihil intentatum reliquit, quo opera in gymnasio ad meliorem statum reducendo posita sustentaretur, quamquam numerum doctorum augebat et omnem disciplinam ad novam, quae proponebatur, normam dirigi jubebat, tamen, cum mala jam fere inveterata neque facili negotio neque brevi tempore tolli possent, ab initio res paulo lentius procedebat. Sed quod non fieri poterat repente, id, cum in locum eorum, quibus et doctrina et ars docendi deerat, novi doctores sufficerentur, et florentes aetate, et tam doctrina quam docendi facultatibus excellentes, procedente tempore impetratum et effectum est. Cum igitur *Geifslerus* (quem quanti fecerit *Ernestus II.*,

satis patefactum est), postquam gymnasio nostro resarciendo felicissimo cum successu per undecim annos uno eodemque animi fervore insudaverat [20]), e gymnasio nostro ad rectoris munus in celeberrima [21]) schola Portensi adeun-

[20]) Non *resarcitur* gymnasium, sed in meliorem statum adducitur, neque ei restituendo *insudatur*, sed opera navatur. Alienum est, de quo sine dubio cogitavit Doer., *Horatii* illud Sat. I. 4. 72. *libelli, quibus manus insudet volgi.*

[21]) Schola recte dicitur *celeberrima*, quae a plurimis frequentatur, non quae illustri laude celebratur. Quodsi Doer. illud exprimere voluit, recte fecit. Quod hodie *virum celeberrimum* dicunt, id quidem plane abhorrere a latinitate satis constat. Cf. *Grysar.* Lat. Stil. p. 240. *Kühner.* ad Cic. Tusc. V. 3. 9. Sed aliud addam, quod minus peritos non raro in errorem inducere video. Casu quodam accidit, ut hoc adjectivum *celeber* apud nonnullos scriptores plane non reperiatur. *Stuerenburg*, qua is est summa diligentia, observavit ad orat. pro Arch. poet. p. 42. neque *Caesarem* neque *Livium* hoc adjectivo usum esse. Sed cave ne ex ea re te colligere aliquid posse credas. In hac voce casu id factum esse patet. Ipse *Stuerenb.* hoc observavit, cujus verba apponam. In commentariis Caesaris, inquit, non inveniri ullo loco illud *celeber* nemo mirabitur, cum vix fuerit huic scriptori occasio talis vocabuli usurpandi, nec quisquam inde concludet consulto Caesarem hoc vocabulo se abstinuisse. — Alia addam exempla. Solo casu factum est quod *Caesar* semel tantum habeat *fortasse*, bell. civ. III. 60, semel tantum *promittere*, bell. civ. II. 20. Errat enim *Herzog.* ad Caes. bell. Gall. I. 16, qui Caesarem nusquam posuisse contendit *promittere*, quamquam verissimam idem attulit causam, cur Caesar saepissime *polliceri* habeat. Herzogii errorem non animadvertit *Doederlein.* Synon. Vol. IV. p. 110. Casu factum est, quod *gratiosus* semel tantum apud Ciceronem reperitur de oculis gratiam captantibus (Brut. 84. 290.), *femineus* semel in loco poetico Tuscul. II. 8. 20, *defectus* de sola luna, de nat. deor. II. 19. 50. Vid. *Hand.* Theor. des lat. Stils p. 140. Singulari idem casu accidisse sponte apparet, si verum est quod contendunt (ipse enim curiosius id investigare nolui), particulam *etiam* in primo Taciti Annalium libro nusquam reperiri. — Verum particulam *etsi* non

dum discederet, gymnasium jam e locis [22]), ut ita dicam, paludosis et lutosis, quibus adhuc haeserat, emergere et caput suum erigere et sursum tollere coeperat, ita, ut jam, qui *Geifsleri* vestigiis insisteret, illud facile ad majus usque pretium [23]) atque decus educere posset. Hoc factum est. *Geifslero* successit *Fridericus Andreas Strothius*, vir incomparabilis, cujus vel nomine audito plures, qui hic adsunt, suavissime delinitum et gratissimo erga *Strothium* sensu perfusum iri certo scio. Non contigit mihi qnidem de facie nosse *Strothium*, sed quanta fuerit ejus doctrina, perspicientia, prudentia, humanitas et comitas, cum ex iis, quae scripsit, tum ex iis, quae in gymnasio nostro gessit, denique ex iis, quae fando de eo accepi, luculenter intellexi. Virtutes sane, in quibus ponenda sit doctoris alicujus bonitas et utilitas, bene tenuit *Strothius*, sed non tenuit eas tantum, immo, quod scripsit aliquo loco, doctrinam ad boni doctoris partes explendas non sufficere, sed ad illam accedere omnino debere eam discipulos tractandi rationem et artem, qua comparetur simul cum pio eorum amore et reverentia auctoritas, id egregie suo ipse exemplo comprobavit. Rectore *Strothio*, heu! nimis matura morte (nondum enim aetatis annum trigesimum sextum exegerat) gymnasio nostro (cui vix sex annos praefuerat)

---

usurpasse neque *Horatium*, neque *Virgilium*, mirari noli; est ea vox minime poetica. — Magna igitur in ea re cautione et circumspectione opus est. Ubi de vocabuli cujusdam auctoritate agitur, non locorum in quibus legitur paucitas quidquam valet, sed quaerendum est utique, quae rarioris usus sit causa, num casus quidam, an ipsius vocabuli notio, an insolens ejus conformatio, an posterioris aetatis inventio. Operae pretium facturus videtur is, qui, quod lexicorum conditores adhuc neglexisse videntur, accuratius in eam rem inquirere volet.

22) Imago quantum ego sentio admodum incommoda.

23) Non ad majus *pretium* educitur gymnasium, sed ad majorem honorem s. dignitatem.

et bonis litteris erepto, pauca quidem, quod ad externum gymnasii ordinem a *Geifslero* inductum attinet, mutata sunt, sed rogante, suadente et impellente *Strothio* impetratum est, quod in futuram gymnasii gloriam vim habuit longe maximam. Restabant enim aliquot doctores, qui, quod ab eorum docendi ratione nihil frugis et utilitatis redundabat in discipulos, gymnasio ad laudem enitenti impedimento magis quam adjumento erant. His igitur in alia loca, ubi alio docendi genere prodessent rei publicae, dimissis, accesserunt ad collegium scholasticum duo viri, quorum nomina nunc celebrantur tota Germania [24]). Haec egregia igitur virorum nunc inter se junctorum cohors certatim coepit cursum dirigere ad metam, verae doctrinae veraeque laudi propositam. Quodsi ego, *Strothii* successor, qui cum illis quos dixi viris et caeteris, qui illos deinde in gymnasio exceperunt, ad eandem metam tendere studui, hodie de felici successu, quo gymnasium per triginta et novem ferme annos gavisum sit, me jactare et laudem, quae divis *Geifsleri et Strothii* manibus debetur, mihi vindicare velim, nae ego vanitatis et impudentiae notam vix effugere possim. Sed longe absum ab hac impudentia; immo, nisi via, quam olim ingressus sum, a *Geifslero* et *Strothio* jam facta fuisset planior et expeditior, nisi collegae mihi contigissent dilectissimi et egregiis docendi facultatibus instructissimi, nisi gymnasium summa duorum principum munificentia adjutum, sustentatum et ornatum fuisset, per me nunquam effici potuisse, quod effectum est, ingenue et gratissimo animi sensu percussus hodie fateor. Quemadmodum autem hoc die solemni omnia, quae gymnasio nostro inde ab ejus primordiis contigerunt, pio animo recognoscere et divinae providentiae,

---

[24]) Intelligit *Frid. Jacobsium* et *Joh. Casp. Frid. Mansonem*, qui posthac egregie meruit de universitate litterarum Vratislaviensi.

cujus singulari tutela gymnasium sustentatum, custoditum et munitum est, gratias agere debemus ardentissimas [25]), ita ad firmissima et splendidissima praesidia, quae recentiore imprimis aetate ei parata sunt, diligenter advertendus est animus. Quis est vestrum, cui quidem nota sit gymnasii nostri sors atque conditio, qui non gestiat hodie de beneficiis, quibus *dux mitissimus Ernestus II.* gymnasium nostrum beavit? Nonne, ut multa alia, quibus ille tam consilio quam re opitulatus est gymnasio, silentio praeteream, nonne tam praeceptorum numerum, quam angustiora eorum stipendia [26]) auxit et ampliora reddidit? Nonne unus doctorum, qui prae nobis omnibus in gymnasio nostro effulgebat, cum ab exteris ad aliud gymnasium doctrina sua illustrandum amplissimo stipendio proposito invitatus esset, insigni *Ernesti* munificentia retentus et gymnasio nostro servatus est [27])? Nonne praeter eum alii eadem munificentia, ut nostri manerent, permoti sunt? Quid dicam de *celsissimo* ejus filio *Augusto*? Nonne idem egregium doctorem, cum is ab exteris ad rectoris munus obeundum vocatus esset, lautiore suppeditato stipendio, ut porro apud nos graecarum litterarum studia accenderet, ab oblato illo munere avocavit [28])? Quid dicam

---

[25]) *Gratias ardentissimas* veteres non dixerunt, nec ulla videtur esse analogia, qua nostris hunc usum concedamus. *Preces ardentissimas* ferendas arbitror, etsi exemplum hujus ipsius loquendi formulae non novi. *Ardentem precationem* affert quidem *Gesner.* in thes. s. v. *ardens,* ubi lectorem relegat ad voc. *precatio,* sed frustra ibi quaeras locum.

[26]) *Stipendia* acceperunt apud veteres soli milites; mirum iis sine dubio visum esset stipendium praeceptori solutum. Sunt *muneris reditus ampliores redditi,* vel si mavis, quod imperatorum aetate in usum venit, *salaria.*

[27]) Est *Frid. Jacobsius.* Enarravi rem in annotatione memoriae Ernestinae subjecta. Cf. *Schulze Geschichte des goth. Gymnas.* p. 299.

[28] Significat *Rostium,* cui anno 1822 directoris munus in gymna-

de pretiosissimo physicorum instrumentorum apparatu, quem idem gymnasio nostro donavit [29])? Quid dicam de praesentissimo praesidio, quo nunc, imperante duce serenissimo *Friderico IV.*, gymnasium fruitur? Quis est, qui non sentiat, quantum sapientissimis consiliis eorum, a quibus nunc res publicae geruntur, non tantum gymnasium, sed tota civitas Gothana debeat? Quid dicam de aliis, quibus inde ab *Ernesto II.* gymnasii nostri salus et felicitas imprimis curae cordique fuit? Unius tantum mentionem faciam, cujus memoriam hodie sponte in cujusque pectore excitat pietas, viri excellentissimi *de Franckenberg*, qui, cum ipse esset vir doctissimus et post graviora negotia cum Musis consuescere soleret [30]), mira animi alacritate

---

sio Veseliensi oblatum est. Sed insigni *Augusti* ducis liberalitate, cujus mentionem facit Doeringius, effectum est, ut nobis servatus sit Rostius.

[29]) De hac optimi ducis gratia copiosius exposuit *Kriesius* peculiari libello: *Kurze Nachricht von der Entstehung und Beschaffenheit des physikalischen Apparats des Gymnasii zu Gotha.* 1804.

[30]) Verissime dixit Doer. *Franckenbergium* post graviora negotia cum Musis consuescere solitum fuisse. Unam rem hoc loco commemorabo, quae et per se est jucunda auditu et vel maxime id quod contendi probat. Turbulentissimis illis temporibus, quum Napoleo immensis copiis 1806 terras nostras inundavisset, frequens erat Franckenbergium inter et *Voigtium*, cujus opera et consilio in administrandis rebus publicis princeps Vimariensis utebatur, epistolarum de rebus gravissimis, quae tum agebantur, commercium. Jis, quae ad publica negotia pertinerent, perscriptis uterque quaedam addere solebat de litteris. Qui quidem mos ita invaluit, ut vel ipsis illis diebus, qui cladem Jenensem secuti sunt, servaretur. Pugna vix pugnata, quum qui fuisset exitus compertum esset, Voigtius litteras misit ad amicum Gothanum, quibus quam similitudinem esse voluit *Lucanus* Pharsal. I. 129—157 inter Pompejum et Caesarem eandem transtulit ad ducem Brunsvicensem, qui summus Borussorum exercitus fuit praefectus, et Napoleonem Gallorum imperatorem, quo

et generoso fervore bonarum litterarum in gymnasio nostro studia fovebat, alebat et sustentabat. Nec ille post mortem gymnasio nostro salutaris et beneficus esse desiit. Nam *excellentissima* ejus vidua, matrona spectatissima et cuivis, qui eam novit, venerabilis, plane ad ingenium et animum mariti conformata, quasi [31]) ex mente mortui ageret, totam ejus bibliothecam instructissimam in bibliothecam nostrae scholae migrare jussit, ubi nunc sub nomine *bibliothecae Franckenbergianae* separatim servatur. Quoties igitur librum aliquem ex hac bibliotheca petimus, toties *generosissimae gentis Franckenbergianae* memoria recolitur.

Ad causas, ex quibus gymnasium nostrum crescere et se extollere coepit, referenda imprimis est, ut jam dixi-

---

nihil cogitari potest aptius aut commodius. Sed apponam ipsa Lucani verba. De Pompejo ille ita:

Nec coiere pares: alter vergentibus annis
In senium longoque togae tranquillior usu
Dedidicit jam pace ducem.

Nonne ducem Brunsvicensem tibi descriptum putas, qui parta gloria veluti reposito fruebatur honore? Sed audi quae Lucanus mox de Caesare habeat:

Non in Caesare tantum
Nomen erat, nec fama ducis; sed nescia virtus
Stare loco: solusque pudor, non vincere bello.
Acer et indomitus; quo spes quoque ira vocasset,
Ferre manum et nunquam temerando parcere ferro.
Successus urgere suos; instare favori
Numinis, impellens quicquid sibi, summa petenti,
Obstaret, *gaudensque viam fecisse ruina.*

Nonne Napoleonis habes imaginem ita expressam, ut poetae paene obversatus esse videatur. — Narravit rem alius ducum Gothanorum arbiter atque minister consiliorum, *von der Beckius*, qui ipse cum Musis consueverat *in seinen Gedichten* p. XXII. Pluribus verbis retuli, quod pauca bujus libri exstant exempla, quae auctor amicis suis dono dedit.

[31]) Hoc Germanica lingua peperisse videtur. Latine utique dicendum, quae Doeringii est mens: *plane* s. *penitus ex mente mortui agens.*

mus, doctorum praestantia. Sed nisi ad hanc accessisset unanimis doctorum concordia, e qua sola pendet omnis fere disciplinae ratio et severitas, gymnasium nostrum fortasse iisdem impedimentis, obstaculis et difficultatibus laboraturum fuisset, quibus plures scholae se laborare queruntur. Quemadmodum autem concordia illa, qua scholarum aeque ac civitatum res parvae crescunt, inter me et collegas meos uno tenore usque ad hunc diem servata est, ita eandem usque ad extremum diem servatum iri non solum spero, sed etiam confido. Dum loquor de collegis meis et de iis, qui plurimum ad praesentem gymnasii statum contulerunt, quomodo ex animo meo deleri et exstingui possit memoria eorum, qui non amplius inter vivos versantur? Quomodo memoria tui, o *Koppi*, qui me in hanc urbem venientem tanta comitate excepisti, tot beneficiis cumulasti et omnes gressus meos tanta prudentia rexisti, ut, qui mihi fueris, cogitari et sentiri tantum, non verbis exprimi possit? quomodo memoria tui, *Loefflere*, qui non tantum de gymnasio nostro ejusque progressibus immortaliter meruisti, sed me quoque singulari tua benevolentia in aeternum tibi obstrinxisti? quomodo memoria tui, *Kaltwassere*, quem non solum ut doctorem gymnasii nostri diligentissimum religiosissimumque, sed etiam ut virum antiquae fidei venerabar venerorque? quomodo memoria tui, *Lentzi*, quem non solum ut doctorem praeclare de gymnasio nostro meritum, sed etiam ut amicum spectatae fidei magni faciebam facioque? quomodo denique memoria tui, *Schlichtegrolle*, quem non solum ut doctorem strenuum et assiduum, sed etiam ut amicum officiosissimum diligebam diligoque? *Havete hodie piae animae et coelestia inter coelèstes virtutum vestrarum praemia capite.*

Restat, ut pauca adjiciamus de incrementis, quae gymnasium inde a quadraginta annis ceperit. Clarum illud fecit tam ipsa doctorum claritas, quam discipulorum laus, qua non pauci eorum nunc insigni gloria exsplendescunt, et in scholis academiisque muneribus funguntur amplissimis. Sed ne tam

hos quam illos extollendo gloriam aliquam gymnasio captare velle videar, acquiescam in ea laude, quam gymuasii nostri discipulis tribuerunt adhuc tribuuntque clarissimi academiae Jenensis et Goettingensis doctores. Ab his enim inde a pluribus annis discipuli nostri non solum prae multis aliis digni, qui in seminaria philologica reciperentur, sed etiam, quibus in publicis litterarum certaminibus praemia adjudicarentur, reperti et habiti sunt. Nec timendum est, ne in posterum ejusmodi discipulorum laboremus penuria; nunc quoque enim in superioribus praecipue classibus plures inveniuntur, haud vulgarem de studiis suis spem excitantes. Immo in posterum quoque e gymnasio nostro, tamquam ex foecundo bonarum litterarum seminario, prodibunt juvenes, qui non solum, ut adhuc, cane pejus et angue fugient clandestinas sodalium male feriatorum [32]) coitiones et impias rerum novarum machinationes, sed etiam accurata tam veterum linguarum quam aliarum disciplinarum cognitione bene instructi firma manu et bono eventu retundent molitiones eorum, qui vel ut circumforanei miraculorum professores non morbos tantum ex corporibus, sed diabolos quoque ex pectoribus se expellere posse jactantes alios in fraudem inducere vel mysticis somniis aliorum animos obruere vel, ut homines lucifugi, terris, ubi lux purioris religionis et bonarum litterarum fulget, tenebras, quibus ante instauratam christianae doctrinae integritatem premebantur homines, offundere et obducere tentabunt.

Sed ne diutius, viri excellentissimi, illustrissimi, nobilissimi, patientia vestra, qua me dicentem audivistis, abutar, finem orationi imponam, fusis ad Deum Optimum Maximum his piis precibus:

O tu, Deus Optime Maxime, qui per trecentos annos gymnasium nostrum divina tua praesentia divinoque tuo prae-

[32]) Secundum Horatianum illud (Od. IV. 6. 14) *male feriatos Troas*, quod exponitur: intempestive et magno suo malo diem festum celebrantes. Hoc loco non satis aptum videtur. — Etiam quod praecedit *cane pejus et angue fugient* scripsit Doeringius memor Horatii sui Epist. I. 17. 30.

sidio texisti, a minis et periculis, quae ei intendebantur, tutum praestitisti, inenarrabilibus beneficiis ornasti et in hunc, quem nunc tuetur, statum adduxisti, serva illud et in posterum divina tua gratia atque clementia; fac, ut porro ex illo egrediantur bene exculti juvenes, qui in tuum honorem de communi felicitate bene mereant et virtutum, quae tibi placent, illustria exempla exstent; sed serva, Deus Optime Maxime, *ducem* quoque nostrum *serenissimum*, in cujus vita et valetudine totius civitatis nostrae salus et faustitas nititur; suffice corpori ejus male affecto vires, quibus corroboratus et refectus diu praeesse possit imperio, quo terris Gothanis nihil contingere potest prosperius, nihil salutarius; serva simul excellentissimos ejus amicos, quos populus Gothanus tamquam publicae salutis tutores et custodes a te datos atque missos veneratur; firmiter eos stare et vigere jube sicuti arbores pulchre florentes et late frondes suas explicantes, ut sub eorum umbra et tegmine suaviter gymnasium delitescat et recreetur [33]); numine tuo adspira supremi ordinis viris, qui auctoritate sua rerum publicarum instituta tegunt et custodiunt; serva salvos atque incolumes venerabiles gymnasii nostri curatores ejusque protephorum, in cujus benevolentia atque amicitia omnis senectutis meae posita est felicitas; bea eos muneribus, quorum fructus hominibus est et jucundissimus et saluberrimus; da, Deus Optime Maxime,

Da probos mores docili juventae,
Da senectuti placidae quietem,
Da manu larga Populo Ducique
Splendida dona [34]).

---

[33]) Haec comparatio, ut multis fortasse qui latine scripta suo modo metiuntur arrideat, mihi minime videtur antiquitatem redolere. Haud minima autem elegantiae pars in latine scriptis posita est in eo, ut te totum accommodes ad veterum rationem. Sic saepius in iis, quae hodie latine scripta evulgantur, si singula verba spectas, nihil inest quod magnopere reprehendas, sed Romanorum mens in iis non spirat.

[34]) *Horat.* Carm. Saec. v. 45. 46. *Doer.*

III.

Carmina.

I.

Pompam solemnem

qua princeps juventutis serenissimus

Aemilius Augustus Leopoldus

cum nova conjuge serenissima

Luisa Charlotta

ducis serenissimi Suerino-Megapolit. filia urbem ingressus est
celebrat gymnasium illustre Gothanum.

Elegia.

Ne quis inexpertus blandi ludibria Somni
    Autumet eventu cuncta carere suo,
Jam mihi narranti faciles accommodet aures
    Somnia, quae certam mox habuere fidem.
Nox erat et toto rutilabant sidera coelo,
    Blandaque mulcebat languida membra quies.
Jamque salutabat redeuntem carmine lucem
    Insignis crista, nuncia lucis, avis;
Stellarumque vagum cogebat Lucifer agmen,
    Tempore quo mitti somnia vera solent.
Laetus in acclivi consistere colle videbar,
    Splendida quo Magni Principis aula nitet.
Hic, ubi spectantes suavissima pascit imago,
    Urbs vetus ante pedes, rus, nemus, arva procul;

Hic flectebamus, celsam quae ducit ad arcem,
    Desuper in celebrem lumina nostra viam.
Ecce fit in plateis hominum concursus, anhelo
    Undique prosiliens pectore turba ruit.
Cum pueris properant matresque patresque, laborat
    Ipse senex tremulos accelerare gradus.
Exoritur laetus surgens ad sidera clamor,
    Nec vaga vicini montis imago silet.
Haec ego dum magno video mirorque stupore,
    Divinus subito fertur ad ora nitor.
Magna triumphalem comitantur numina pompam,
    Qua vidi majus splendidiusque nihil.
Antevolat velox rerum praenuncia Fama,
    Et tales alto fundit ab ore sonos:
»O vos felices, iteratos edite plausus,
    Atque salutiferis thura cremate deis;
Augustus, cives, vestrum decus, ecce secundi
    Conjugii grata compede vinctus adest!
Hoc ego conjugium totum vulgabo per orbem,
    Faustius hoc nusquam prosperiusque viget.« —
Interea volucris nitidis gens cincta pharetris
    Advolat, ostentans aurea tela manu.
Terrarum dominos se figere posse triumphat,
    Huc illucque volans fortia verba fremit.
Jam sequitur *Princeps*, curru qui celsus in alto
    Purpureum placido mittit ab ore jubar;
Qualiter Eois Hyperione natus ab undis,
    Ora gerens roseo clara colore, redit,
Lucis ut obscuras illustret munere terras,
    Et recreet radiis florida rura suis.
Ad latus *Augusti* vultu, qui cuncta serenat,
    Et multa celebris laude *Luisa* nitet.
Astrorum veluti coelo regina sereno
    Cynthia tranquillis nocte refulget aquis,

Sic pulchro micat ore decor, sic lumina flagrant,
Sic placet in teneris gratia vera genis.
Ecce super currum, flavo decoratus amictu,
Se librat pennis connubialis Hymen.
Foedera, quae laeto firmaverit omine, spectat,
Concutiens faustam terque quaterque facem.
Post currum viridi redimitae tempora lauro
Pierides manibus myrtea serta gerunt.
Et secum cunctae meditantur amabile carmen,
Quo pia solemni gaudia luce canant.
Ast Erato doctas praecedit voce sorores,
Hos dum mellifluo promit ab ore modos:
«Ducite festivas ad plectra sonora choreas,
Hunc decet imprimis nos celebrare diem.
Taedifer externis quos fausto nuper in oris
Foedere conjunxit filius Uraniae,
Moenia nunc intrant, et ad alta palatia pergunt,
Vita ubi, ceu liquidus rivus, *utrique* fluet.
Ducite festivas ad plectra sonora choreas,
Hunc decet imprimis nos celebrare diem.
Hic, ubi, quem pia gens veneratur numinis instar,
Ernestus regni mitia sceptra tenet,
Hic, ubi structa vigent nobis celeberrima templa,
In quibus ipse *bonus Dux* pia sacra facit,
Hic, ubi nunc tota cives laetantur in urbe,
Laetitiae merito pars quoque magna sumus.
Ducite festivas ad plectra sonora choreas,
Hunc decet imprimis nos celebrare diem.
O vos, haec colitis qui rura beata, futuri
Spem quantam tacito corde fovere licet!
Augustus vobis magnis virtutibus olim
Patris ad exemplum mollia jura dabit.
Augustus, doctae mecum gaudete sorores,
Nos colit et magni more parentis amat.

Ducite festivas ad plectra sonora choreas,
Hunc decet imprimis nos celebrare diem.
Ergo, velut rupes, quam non injuria venti,
Non maris insani vis violare potest,
Alta domus stabit, firmis innixa columnis,
Gloria terrarum, Saxoniaeque decus.
Regia succrescet soboles, seriesque nepotum
Antiquum referet nobilitate genus.
Ducite festivas ad plectra sonora choreas,
Hunc decet imprimis nos celebrare diem.» —
Dum canit haec Erato, propior fit pompa, teritque
Undique jam nostrum plurima turba latus.
Clarisono simul aura strepit clangore tubarum,
Celsaque tormentis moenia quassa tremunt.
Excutior somno, fugit omnis corpore torpor,
Jamque repente mei strata relinquo tori.
Et nunc, quae fuerant dulcissima noctis imago,
Exorto video splendidiora die.

II.

Principi juventutis serenissimo

Aemilio Leopoldo Augusto

cum nova conjuge serenissima

Carolina Amalia

serenissimi terrarum Cattiacarum principis filia

faustissimis auspiciis urbem ingredienti pietatem suam reverenter declarat gymnasium illustre Gothanum.

Quis nostra faustus moenia personat
Clamor? Quis intrat laetitiae furor
Mentes? Quis ardor? Quis secundi
Percipitur strepitus tumultus?

Cur concitati pectoris impetu
Cives relictis e domibus ruunt?
Cur in viis saltant et auras
Plausibus et precibus fatigant?

Laeto salutant omine *Principem*,
Qui pectus, alto vulnere saucium,
En molliter tandem refectum,
Cattiacis ab agris reportat;

Blandisque rursus tectus amoribus,
Vinctusque grata compede *Conjugis*,
Ex sanguine heroum creatae,
Luce nova patriae refulget.

Ex hoc videmus conjugio novos
Progerminantes surgere ramulos,
Quorum sub umbra olim nepotes
Saepius instituent choreas.

Auditis? an nos dulcis agit furor?
Audimus altae Cattiacae domus
Stirpisque Gothanae parentes
Sedibus ex superis referre

Haec laeta nobis: «Sanxit avi bona
Faustos amores Uraniae genus!
Nam (sic profundo nuper ore
Veridicae cecinere Parcae)

Haec nuptiarum splendida foedera
Late vigebunt, atque piam simul
Gentem beabunt, quando magno
Haud minor imperium parente

Olim tenebit filius. Aurea
Florebit aetas hoc quoque posteris
Regnante, Musarumque cultus
Stabit, ut ante, suus sacellis.»

Jure hinc, futuri dum patriae bonae
Intrant parentes moenia myrteis
Sertis coronati, triumphe!
Quisque sonat ter io! triumphe!

Sic cum superbo moenia Libero
Intravit olim virgo Minoia,
Cujus serena nocte sidus
Ignibus auricomis coruscat.

III.

Celsissimae filiae Augusti
serenissimi ducis Saxon. Goth. et Altenburgensis

Luisae

faustissimis auspiciis cum

Ernesto

serenissimo duce Sax. Coburg. et Saalf.

nuptias celebranti pietatem suam reverenter declarat illustre gymnasium Gothanum.

Quem diem festum pia gens celebrat?
Quis sonat plausus vacuas per auras?
Quos modos laetos iterat jocosa
Montis imago?

Cur vias opplent hominum catervae?
Cur rosas spargunt nitidae puellae?
Virgines cur deproperare certant
Myrtea serta?

Cur ferox jactat face se Diones
Dux? — patet cur arx variisque templum
Floribus stratum populo adfluenti
Undique ab urbe?

Celsa supremi Ducis atque patris
Patriae proles, populi voluptas,
Hoc die fausto teneros amores
Firmat ad aras!

Flos velut surgit viridante in horto,
Aura quem mulcet Zephyri, igneique
Educant Solis radii, et salubris
Irrigat imber,

Quem, suo pulchre radiantem honore,
Atque spirantem ambrosios odores,
Appetunt multi, nequeunt sed horti
Rumpere septa:

Nata sic nostri Ducis enitescit,
Sic rapit cunctos cupide intuentes
Palladis doctae Cythereidisque
Munera rara.

Te decet, nam tu potes una, Clio,
Virginis tantae celebrare laudes;
Nos recusamus leviore magna
Dicere versu.

Thure sed sanctas cumulemus aras
Et preces ad te, Deus o colende,
Rite fundamus pietate pleni
Tempore sacro.

Rivuli ut lymphae placidi loquaces
Molliter cultos trepidant per agros,
Nec procellae vim violentioris
Experiuntur:

Sic fluat molli *Tibi* vita cursu,
O micans sidus patriae, *Luisa*,
Nec serenatas tenebrosa turbent
Nubila luces.

Rideat semper *Tibi* terra felix,
Quam manu leni moderatur ingens
Stirpis antiquae decus atque avorum
Clara propago,

Mitis *Ernestus*. Nisi fallit omen,
Ille, quem virtus super astra tollit,
Splendidae sortis *suae* erit *Luisae*
Splendidus auctor.

IV.

De faustissimis auspiciis

quibus dux celsissimus pater patriae

Ernestus

solemni pompa urbem ingressus est ovant et triumphant gymnasii Gothani doctores.

Vidistis atro turbine nubila
Collecta, Cives, obtegere aetheris
Lucem nitentem, et luctuosa
Fata pio populo minari;

Audistis altum dira tonitrua
Magnos tumultus edere per polum,
Dum e nubibus flammae coruscae
Per loca perque vias micabant;

Sensistis omnes pectore turbido
Ventura nobis tempora tristia,
Queis, civitati qui imperaret,
Dux bonus et sapiens deesset.

Venere! nam vis terribilis Noti
Excussit, eheu! navigio Ducem,
Cursu secundo qui receptum
Rexerat egregius magister.

Aurae sonabant planctibus, et pii
Largo fluebant flumine per genas
Fletus, Deum dum quisque supplex
Ah! «fer opem, fer opem» rogabat.

Justae fuerunt hae populi preces!
Gaudete cuncti! jam *patriae pater*
Intravit urbis tecta, fausta
Voce suum populum salutans.

Laetos ut almum ver rediens agros
Reddit, suis dum muneribus beat
Ruris colonos, et benignis,
Quidquid habet, manibus reportat;

Sic *sidus ortum*, lumine splendido
Pulchre refulgens (quod colimus pii),
Ernestus, insignis paterna
Mente, suum populum serenat.

Quis, si futuri temporis exitum,
Et, quae manent nos, pectore praecipit,
Non prodeat vates et ore
Veridico haec reseret futura?

Ernestus, ingens justitiae decus,
Vindex avarae fraudis et integer
Recti arbiter, felicitatis
Auctor erit populo verendus.

Ernestus, altae tegmen ut arboris,
Stratis sub umbra perfugium dabit;
Idemque jactatis procella
Portus erit, miseris apertus.

Ernestus artes, quas fovet et colit,
Extollet alte praesidio suo;
Ernestus Ernestos honore
Et meritis referet priores.

Vos ergo, Cives, pectore pellite
Curas severas, atque hilares, mero
Hac luce solemni madentes,
Dicite: *io! ter io! triumphe!*

V.

In pompa solemni,

qua

dux celsissimus Ernestus

terris Coburgensibus et Gothanis imperans

cum nova conjuge celsissima

Maria

urbem ingressus est, ovanti populo ovantes accesserunt illustris gymnasii Gothani doctores.

Descende celso, blanda Erato, polo,
Et rite canta dulcia carmina,
Audita quae nostris in agris
Edidicisse animum juvabit;

Extolle eburna conspicuum lyra,
Quem cingit omnis Pieridum chorus,
Extolle virtutes, Apollo
Queis nitet et vehitur per orbem.

Is nam medendi nobilis artibus
Morbos coercet mirifica manu;
Is cuncta collustrat fugatis
Nubibus et piceis tenebris;

Divino is adflat numine pectora,
Et vim potenter promovet insitam,
Qua perciti tollunt poetae
Aurea ad astra decus virorum.

Extolle cantu, Musa, precor, piae
Phoebi sororis munera Deliae,
Quae regnat in silvis, in Orco,
Sidus et aethereum refulget.

Descende Olympo, viseque florida,
Quae Leina lambit, rura benignior;
Hic, Musa, cognosces verendos
Gentis Apollineae nepotes.

His namque terris prosperioribus
Instar parentis *Dux bonus* imperat
Ernestus, atram qui malorum
Hinc procul esse jubet catervam.

Idemque doctum reddit Apollinem,
Doctrinae amantes dum, velut is, fovet,
Et templa molitur superba
Artibus ingenuis sacranda.

Accedit *alti filia Principis*,
Quam Gratiarum subsequitur decor,
Accedit, ut partes severo
Sustineat studio secundas.

Haec juncta nuper foedere (quod deus,
Dux nuptiarum, constituit ratum),
Ne desit *Ernesto Maria*,
Tecta petit patriae futurae.

Auditis? ingens vis hominum ruit,
Et turbulenter jam se agit in viis;
Tormenta per montes, per arva,
Laetifico reboant tumultu.

Jam vota surgunt ad vaga sidera,
Faustasque voces jam populus jacit;
Auditur ingenti sonore:
O ter io! ter io triumphe!

VI.

In memoriam confessionis

a Philippo Melanchthone conscriptae et ante trecentos annos Augustae Vindelicorum traditae.

Calliope.

Nos, quas mirus amor jungit pietasque, sorores
Lux sacra, purpureo quae pulcre splendet ab ortu,
Laeta jubet grato modulari carmina plectro,
Suaviter in sacro Pindi resonantia clivo.
Hoc decet, hoc nobis injungit doctus Apollo.

Clio.

Sponte piae mentes, repetunt dum splendida secum
Munera, queis bona sors sese cumulaverit olim,
Intus ferventes tentant expromere sensus.
Ergo viri, quo non viguit praestantior usquam,
Ingentes laudes ad sidera sponte feramus.

At mens nunc horret veteris meminisse doloris,
Quem famae nostrae furor et contemtus inussit;
Pellit enim claram spissa ignorantia lucem,
Saevius et regnat tenebrarum adjuta favore,
Dum doctas odit cane pejus et anguibus artes.

Caeca superstitio cepit tum pectora, et ad se,
Ceu servile pecus, traxit doctosque rudesque.

Hoc misero statu Germania pressa jacebat!
Frustra ausi fuerant plures dispellere nigram,
Quae piceis tenebris obduxerat omnia, noctem!
Tandem, quem nostris pia cura fovebat in ulnis,
Duximus ad fontem, puerique rigavimus ora
Largo, qui pectus divinitus imbuit, haustu.
Et sic noster amor, splendens virtute, Melanchthon
Prodiit ex umbra dias in luminis auras.
Qualia praestiterit, qualem se gesserit ille,
Id tu, Calliope, divino carmine dices.

Calliope.

Hoc equidem faciam, sed nunc pro tempore tantum
Gloriae et aeternae laudis fastigia tangam.

Nascentem placido nos lumine vidimus omnes,
Et, ceu sollicitae matres, prospeximus illi.
Insita vis etenim, mentis praestantia et acre
Ingenium in puero pulcre eluxere tenello.
Hinc cupide arripuit doctas, quas tradimus, artes,
Nobiliorque chori nostri exsurrexit alumnus.
Sic bene munitus solidae potioribus armis
Doctrinae poterat stolidae se opponere turbae,
Insano studio fanda atque nefanda minanti.
Extitit is magni Lutheri fidus Achates,
Qui contra infestam jactu mittenda cohortem
Spicula suggereret, praestoque timendus adesset;
Miti animo quamquam non est superatus ab ullo.
Nam veluti rivus trepidans per amoena vireta
Delectat placido cursu suavique susurro,
Sic bonus et blando placidissimus ore Melanchthon
Unumquemque sui molli perfudit amore.
At fervens animo Lutherus et ore profundo
Exsuperans, rapido de celso monte ruenti
Torrenti similis, vi contudit obvia quaeque.

Clara igitur postquam Musarum accensa favore
Lux tenebras noctis simulacraque vana fugarat,
Plaudite! sors melior miseris est reddita terris.

Hunc celebrate diem, sapiens quo scripta Melanchthon
Caesaris arbitrio subjecit dogmata justo.

Chorus Musarum.

Dicite, Castalides, memorabile dicite carmen!
Noster honos agitur! lux, quam nos sparsimus una,
Dispulit ex hominum fraudes commentaque mente.
Quod temere est fictum, debet nunc cedere vero.

Spargite, Castalides, decerptos spargite flores!
Donec enim pulcros submittet terra colores,
Hoc florum imprimis est dignus honore Melanchthon.
Pellite sollicita vanos ex mente timores,
Ne rursus tenebrae splendorem lucis obumbrent;
Mystica enim *Ratio* certa vi somnia vincet.
Dicite, Castilides, memorabile dicite carmen!

VII.

Ad convivas nuptias **Moelleri et Freytagiae** celebrantes.

11. April. 1790 [1]).

Hesperus en faustos Cythereius extulit ignes,
Quisquis adest, sanctas fundat ab ore preces;
Quisquis adest, laeti sumens jam pocula Bacchi
Succinat, ut fas est, haec bona verba mihi:
Sit bene Moellero, grata cui compede vincto
Nunc meliore faces omine quassat Hymen;
Sit bene dilectae digno cum conjuge sponsae,
Molliter et vitae tempus utrique fluat.
Ex sponso fiat pater, ex sponsa bona mater,
Ludat et ante patrum turba tenella pedes;
His decet auspiciis laetos celebrare Hymenaeos,
Talibus ominibus foedus inire tori!

---

1) Habet etiam Mitscherl. Eclog. recent. carmin. latin. p. 86.

VIII.

Viro celebratissimo

J. G. A. Galletti

nuptias cum virgine lectissima

W. Laurentii

celebranti.

19. Maj. 1791 [1]).

Tela, Cupido, tuae qui felle rigata sagittae
    Est semel expertus, te, male, jure fugit.
Dulcia tranquillae tu tollis gaudia vitae,
    Ictaque pestifero corda dolore quatis.
Te volitat circum comitum monstrosa caterva,
    Ira, Furor, Gemitus, Fraus mala, Pernicies.
Ipsos Musarum crudeliter uris alumnos,
    Consiliumque tua surripis omne face.
Parce, Cupido, mihi, si forte protervia nostra
    Te, bone, deliro laeserit opprobrio.
Dulcia tranquillae tu portas gaudia vitae,
    Tactaque molliculo corda calore moves.
Te volitat circum comitum formosa caterva,
    Pax, Jocus, et Risus, Mens pia, firma Salus.
Musarum tetricis magnum es solamen alumnis,
    Mansuetosque facis saepius ante feros.
Tela, Cupido, tuae qui melle rigata sagittae
    Est semel expertus, te, bone, jure colit.

[1]) Legitur in Mitscherlich. Eclog. recent. carmin. latin. p. 14.

IX.

Amico et collegae suo dilectissimo

Kriesio

cum virgine lectissima

Schroederia

faustissimas nuptias celebranti.

23. Sept. 1806.

Noli, dicebam, ridere Cupidinis arma,
Ridentes domuit saepius iste puer.
Nuper, amice, fides tandem mea dicta secuta est,
Ictus es — inque tuo pectore vulnus alis.
Vulnus alis, sed res salva est! placidissima virgo
Insigni faciles applicat arte manus.
Mollia jam blando promit medicamina vultu,
Jam fomenta parat, jam tibi praestat opem.
Haec studiosa tui, tota haec tibi dedita mente,
Praesidium vitae deliciasque dabit.
Haec si forte tuum contristent nubila pectus,
Purpureum roseo sparget ab ore jubar.
Haec tecum vitae jucundas exiget annos,
Nec deerunt casti pignora cara tori.
Ergo, mi Kriesi, qui vulneris vreris ictu,
(Vera cano) vere, crede, beatus eris.

X.

Amicissimo suo

Kindervatero [1])

cum puella cultissima

Bertuchia

faustissimas nuptias celebranti.

1805.

Cum foret Aonidum Pimpleo nuper in antro
Concilium, blando sic ait una sono:
Is, qui natorum dudum carique parentis
Dulce quidem nomen, nec tamen omen habet,
Is, bene qui doctis nutritus in artibus inter
Claros insigni splendet honore viros,
Is, tandem vitae pertaesus caelibis, ictum
Hocce die socii foedus amoris init.
Spargite, Castalides, fragrantes spargite flores,
Et properate cita myrtea serta manu.
Myrtea serta gerat virgo, quam gratia morum
Componit pulchre subsequiturque decor.
Tali cum vitae socia (sic pandit Apollo)
Felicem cursum noster alumnus aget.
Et, dum percipiet dulcissima gaudia, vere
Natorum fiet mox bonus ille pater.

[1]) Est idem qui Terentii comoedias in patrium sermonem transtulit.

XI.

Ad Horas [1]).

Ad numerum mites terram pulsate Sorores!
    Per vos, Neptuno ceu sata, sponsa nitet.
Sponsa nitet pulchre! caput ornant myrtea serta!
    Cypria purpureo spirat in ore rosa!
Ad thalamos faustos faustum deflectite cursum,
    Et date, quae vobis dona dedere Dii.
Firma salus tenero junctos comitetur amore,
    Veris et aeterni tempora laeta beent.
Ducite festivas iterum de more choreas,
    Et pede sublimi surgite ad astra, Deae;
Mensibus exactis ut casti pignus amoris
    Discurrat patrum parvulus ante pedes.

---

[1]) Hoc carmen inter Doeringiana reperi; Doeringii esse minime dubito, sed mirum, quod nec ego nec ex collegis unus in memoriam revocare potuimus, quae carminis scribendi fuerit occasio. Exemplo, quod ego servo, diem adscripsi 5. Jul. 1818.

XII.

Viro clarissimo

J. Fr. Salom. Kaltwassero

doctoris munere

in illustri gymnasio Gothano

per viginti quinque annos

insigni cum laude functo gratulantur ejus collegae.

8. Jun. 1800.

Nectite, Pierides, agedum jam nectite magnis
Conspicuo meritis laurea serta viro.
Nam decorare decet lauro, cui quinque peracta
Jam sunt in vestro lustra ministerio;
Helladis ut teneris fontes aperiret alumnis,
Hincque rigare sacris ora doceret aquis.
Adsumus, ut laeti tecum celebremus, amice,
Gaudia, quae portat lux hodierna tibi.
Adsumus, ut tecum felici sorte fruamur,
Quam tibi, quam nobis fata dedere simul.
Adsumus, ut fido tibi pectore vota feramus,
Fundamusque pias splendida ad astra preces.
Adsumus, ut rari firmemus pignus amoris,
Quem nondum potuit rumpere livor edax.
Sic tibi, sic nobis, dum pectora nostra feruntur
Laetitiae sensu, transeat ille dies.

XIII.

Viro clarissimo

J. G. A. Galletti

doctoris munere

in illustri gymnasio Gothano

per viginti quinque annos

insigni cum laude functo gratulantur ejus collegae.

2. Oct. 1803.

O nos felices, quos raro foedere junxit
Certa fides, munus, longior usus, amor!
Dum fervens alios exasperat ira, furorque
In partes varias dissidiumque rapit,
Nos juvat in dulci consuescere pace, fruique
Divino sanctae munere amicitiae.
Dum rumpunt alii socialis vincula vitae,
Quin socio miscent dira venena suo,
Communes laeto celebramus pectore coenas,
Ingenuosque sales spargimus atque jocos.
Lux hodierna igitur salve, o laetissima, salve!
O tecum nobis gaudia quanta vehis!
Hac geminare decet plausus, hac nectere, nostri
Quae decorent socii laurea serta caput.
Hac etenim is, quarta jam saecli parte peracta,
Olim doctoris coepit adire vices.
O quantum ille suo peperit sibi munere laudem!
Quantus et ille volat docta per ora virum!
Incolumis vigeat, sic mente animoque precamur!
Fungaturque suo munere lustra decem.

XIV.

Viro celebratissimo

Friderico Kriesio

doctoris munere

in illustri gymnasio Gothano

per viginti quinque annos

insigni cum laude functo gratulantur ejus collegae.

2. Nov. 1814.

Si pia de caro, quem vos fovistis, alumno
Nunc cura, Aonides, pectora vestra subit,
Nectite, nam tales nunc poscit tempus honores,
Nectite divina laurea serta manu.
Jure vir insignis, qui magna laude peregit
Jam quinque in vestro lustra ministerio,
Kriesius incedit praecinctus tempora lauro,
Virtutisque suae praemia justa capit.
Hic, mensor terrae numeroque carentis arenae,
Qui tentat radio splendida templa poli,
Hic docuit juvenes naturae exquirere vires,
Et rerum immensas enumerare vices.
Hunc igitur, queis doctor erat, juvenumque virûmque
Pluribus in terris magna caterva colit.
Hunc, queis nunc etiam doctas, quibus eminet, artes
Uraniae tradit, mente animoque colunt.
Hunc colimus, multis bene quem spectavimus annis
Integritate gravem conspicuumque fide.
Hunc jubeat serum Deus ad coeli astra redire,
Functus ubi ille suo est munere lustra decem.

XV.

Christiano Ferdinando Schulzio

collegae nostro conjunctissimo

postquam

per viginti quinque annos professoris munus egregie administravit.

8. Kal. April. 1825.

Kriesius, *Uckertus*, tum cui dat *Regula* nomen,
Rostius et *Vastans* nomine cuncta suo,
Welckerusque lyrae scitus moderator eburnae,
Cum sene, qui nostro duxque paterque fuit.

E l e g i a.

In tua tecta soles, *Schulzi*, persaepe vocare,
Qui tibi sunt juncti munere, amore, fide.
Venimus hinc hodie quoque, sed, dum vertimus ora
Huc illuc, mentem versat agitque stupor.
Congerie magna stat mensa exstructa ciborum,
In medio ex lauro nexa corolla jacet.
Discurrunt famuli, famularum et sedula turba,
Omnia dum certa lege modoque struunt;
Ipsaque cum nata trepidat lectissima conjux,
Quam, pulchre ut niteant omnia, cura quatit.
Omnia delectant oculos, naresque patentes
Splendida jucundo mulcet odore domus.
Scilicet in mensa quae splendet pulchra corolla,
Temporibus, *Schulzi*, est deproperata tuis.

Quinque etenim jam lustra tibi fluxere, quibus tu
Munere doctoris functus es egregie.
Hanc igitur, Musae quam construxere, coronam
Exornare tuum jussit Apollo caput.
Nos, quos grata pii constringunt vincula amoris,
Quos tenet idem animus mens eademque regit,
Nos hodie, *Schulzi*, tibi testes adsumus omnes,
Hasque pias uno fundimus ore preces:
Stes, valeas, vigeas, et sic, nunc quinque peractis
Lustris, contingant altera quinque tibi.

XVI.

Diem felicissimum
4. Kal. Sept. 1835
quo
Fridericus Jacobsius
vir illustrissimus
ante hos quinquaginta annos munus doctoris in gymnasio Gothano adiit pie celebrant gymnasii Gothani doctores.

Descende Pindo, et carmine nobili
Extolle *celsum*, Calliope, *virum*,
Quem fovit olim jam tenellum
Castalidum chorus atque Apollo.

Hic namque sacri fonticuli appetens,
Ut plenus illo luderet entheus,
Pectus rigavit rite, donec
Exstitit Aonidum propinquus.

Templi *hic*, novem quod nobilitant deae,
Multos per annos aedituus catus,
Sacra ordinavit more prisco,
Excoluitque rudem inventam.

Idemque terris fulget in ultimis
Partae scienter laudis honoribus;
Quaecunque mandavit tabellis,
Arripiunt populi remoti.

Postquam peregit sic celebres dies,
Alba decorus nunc capitis nive,
Idem est, manetque idem sacrarum
Unicus Aonidum administer.

Ergo, colendum qui colimus virum,
Luce hac vocamur gaudia ad intima,
Quod *vir virens* bis quinque lustra
Nosque aliosque simul beavit.

Communis arcto foedere muneris
Junctos agebat firmior usque amor;
Et sic fluebat vita dulcis,
Rivus ut in tacitis viretis.

Praestans, *Jacobsi*, robore corporis
Vitae beatae percipe munera!
Nos en! nepotes jam videmus
Nectere avo viridem corollam!

Vivas! In oris personet exteris
Nomen, sorores quod celebrent novem;
Vivas, et ex votis secundis
Te recreentque juventque fausta!

Vives; canit nam dulcis Horatius:
— Vocem canentis consequitur fides —
Quicunque splendet laude pulchra,
Hunc pia Musa vetat perire.

XVII.

Civitati Gothanae de summa felicitate
qua
vir illustrissimus atque excellentissimus

Liber Baro de Frankenberg

per quinquaginta annos
insigni laude res publicas administravit impense laetanti accedunt gymnasii doctores.

2. Jan. 1815.

Salve, quem merito tellus Gothana celebrat,
Illustris salve terque quaterque dies.
Hoc decet ad nubes iteratos tollere plausus,
Liberiusque piae se dare laetitiae.
Hoc decet unanimes, quos junxit munus, amicos
Ducere spumanti pocula plena mero.
Dumque sonant resono rorantia pocula pulsu,
Quilibet hos fausto fundat ab ore sonos:
Sit bene Grandaevo, quem publica jura tuentem
Lustra decem nostra vidit in urbe Themis.
Sit bene Grandaevo, quem, praesidiumque decusque
Ut foret Aonidum, finxit Apollo sibi.
Sit bene Grandaevo, quem splendida gloria rerum,
Quas bene pro patria gessit, ad astra vehit.
Vota cadunt; placidas precibus Deus applicat aures:
Obtinget *viridi* firma senecta *seni.*

XVIII.

Ad virum praecellentissimum

et amplissimum

Christianum Gottlieb Hildebrand

AA. LL. Magistrum clarissimum

conrectorem scholae provincialis Portensis

optime merentem

de morte carissimae conjugis elegia

nomine alumnorum et extraneorum Portensium.

1787.

Elegia.

Ergo me linquis? conjux! dulcissima conjux!
Supremum dicis tempus in omne: Vale?
Et te non tangunt lacrymaeque precesque mariti?
Nil miseri curas anxio ab ore sonos?
Ah! cadis ante diem! clauduntur lumina nocte,
Ah! modo quae fueras spes mea sola, cadis.
Siccine non dabitur dextrae conjungere dextram
Amplius, et caris oscula blanda labris?
Nec notas audire tuas, et reddere voces?
Non dabitur solitis corda levare modis?
O nimium dilecta et me mihi carior ipso!
O utinam tecum fas foret ire mihi!
Siste duas tandem, *Doctor* pie, siste querelas,
Sat doluit pectus, sat maduere genae.
Ecce! tui nos *Te*, quos ducis ad astra, precamur,
Pone *Tuis* lacrymis tristitiaeque modum.

Exemploque doce nos, religionis amantem
    Forti animo rebus semper adesse malis.
Constanti en! animo mortem vultuque subivit,
    Omni quam vita praemeditata fuit.
Nunc ideo coeli rutilanti fulget in arce,
    Aethera per liquidum flammea stella micat.
Fido animo qui semper amat Dominumque Deumque,
    Vivus in hac terra gaudia mille capit.
Sedibus at superis fortunatisque piorum
    Uberiore pius possidet illa modo.
En *Tua* nunc conjux, numen quae semper amavit,
    Coelicolas inter gaudia plena tenet.
Sic placitum coelo; coelo parere necesse est;
    Naturae legi paruit atque Deo.
Ipsa en! flere vetat; monitum ne sperne supremum;
    Haec scripsit moriens ultima verba *Tibi:*
Fata vocant; nam sunt mortis mihi signa propinquae,
    Ultima jam approperant tempora, fata vocant.
Nosco atram, cedoque lubens, neque deprecor, horam;
    Arbitrium sic stat consiliumque Dei.
O mihi perpetuo dilecte! o optime conjux!
    Hoc te per numen, quod regit astra, precor,
Per fidum, qui nos, oro, conjunxit, amorem,
    Verba tuae uxoris pondus habere sine.
Parce, precor, lacrimis, miserandis parce querelis,
    Ne cruciet tantus pectora moesta dolor.
En! felix vixi, traducens dulcia tecum
    Tempora; non ultra vita, quod optet, habet.
Nunc ego tranquille juvenilia lumina claudens
    Impleo supremum, patre vocante, diem.
Sedibus et superis adscripta altoque recepta,
    Debita coelicolis otia semper agam.
Sic visum, sapiens qui deligit optima quaeque,
    Cujus et in gremio mox requiesco, Deo.

Tempus erit, tibi cum mea rursum se addet imago,
Et deges lateri junctus, ut ante, meo.
Tum primum ardorem, et veteres revocabimus ignes,
O qui complexus, qualis hic ardor erit!
Ergo sollicitas tandem depone querelas,
Atque animum curis tristitiaque leva.
Nos *Te* conjugii per dulcia vincla rogamus,
Irrita defunctae ne *Tibi* verba cadant.
At *Tibi* gratamur, celsi nunc aetheris haeres,
Gaudia pro meritis summa tulisse poli.
Ossaque tranquilla, oramus, *Tua* sede quiescant,
Haec donec repetit vita, vocante Deo.

XIX.

Ad discipulos suos

praematuram unici filii mortem deflet [1]).

1786.

Elegia.

Inde, ubi Sala pater per amoena vireta volutus
Florida raucisono flumine rura secat,
Quo mihi felices quondam juvenique viroque
Lumine fulserunt splendidiore dies,
Inde, ubi nunc duri medicamina quaero doloris,
Haec Vobis lacrimis littera scripta venit.
Jure etenim lacrimae mihi, quas tristissima luctus
Elicit ex imo pectore causa, fluunt.
Jure fluunt tristi patris ex complexibus, eheu!
Unice, sublato funere, nate, tibi.
Omnia nam tecum perierunt gaudia vitae,
Nostraque morte tua est tota sepulta domus.
Unica tu nobis restabas, nate, voluptas,
Unica et in te uno spes mea fulta fuit.
Tu mihi, si tristes lacerabant pectora curae,
Curarum semper suave levamen eras.
Dura videbantur te vivo mollia, amara
Adspectu mihi sunt dulcia facta tuo;
Omnia ridebant mihi te ridente parenti,
Omnia florebant flore virente tuo.

[1]) Legitur in Mitscherlich. Eclog. carmin. latin. recent. p. 52.

At nunc, mors postquam mihi te crudelis ademit,
Tristia vipereo tempora felle madent.
Te sine dulce nihil mihi nunc, dulcissime, tecum
Vitae delicias condidit una dies.
Nunc studio et Musis tota de mente fugatis
Mollia flebilibus carmina fundo modis,
Qualibus absumti sub frondibus arboris ales
Fata Ityli moesto Daulias ore gemit.
Ergo, quod demens fieri vix posse putabam,
In gelida ante diem, parve, quiescet humo?
Quarta tibi nondum viventi venerat aestas,
Sed tuus in primo flore nitebat honor.
Nec tamen a tenero viridantis corpore floris
Abstinuit rapidas mors violenta manus.
Sic flos purpureus viridi modo natus in agro
Vomere conscissus praetereunte jacet;
Sic rosa saepe brevis moritur, sic alba gravatum
Lilia demittunt imbre cadente caput.
Amplius haud ergo patris ad latus, unice, posthac
Passibus haud aequis ibis, ut ante, comes?
Amplius haud blanda me patrem voce vocabis?
Nec ludes nostros amplius ante pedes?
Amplius haud tecum docili cupidoque sciendi
De varia rerum conditione loquar?
Nempe statim primis jam praefulgebat in annis
Divitis ingenii vena benigna tui.
Hinc mihi jam caeca fingebam mente paterna
Gaudia de nato percipienda meo.
Omnibus his saeva nati nunc morte recisis,
Ah, miser in sola tempora duco domo.
Vos, o discipuli, vos soli mite potestis
Solamen viduo suppeditare patri.
Vos mihi restatis soli, quos more parentis
Toto animo, tota mente fovere licet.

Vos, scio, vos omnes tenero quoque pectore amatis
Me vestrum ad Pindi culmina sacra ducem.
Vos quoque fraterno demulcebatis amore
Nunc humili tectum cespite filiolum,
Omnia qui vestrûm parvus bene nomina norat,
Vobiscumque simul, quando licebat, erat.
Hinc quoque vestra cohors (sit maxima gratia vobis),
Ivit tota dolens ejus ad exsequias.
Hunc servate boni mihi, vos rogo, semper amorem,
Nubila si cupitis pellere mente mea.
Interea, dum fata jubent me ducere vitam,
Te semper moesta voce, sepulte, querar.
Nec cessabo tuum lacrimis urgere sepulchrum,
Quo lapis his scriptis stet super ossa notis:
Unicus hic situs est natus, spes unica patris;
Unice nate, tibi molliter ossa cubent!

XX.

Mortem

Caroli Augusti Boettigeri

pie deflet amicus defuncti conjunctissimus.

1835.

Elegia.

Castalides Musae, percusso pectore junctim
Funestos tristi fundite voce modos!
Vester enim occubuit cultor fidusque minister,
Et vox pulchra canens muta repente silet.
Occidit exortum, quod pulchre splenduit, astrum,
Grande decus patriae, gloria in orbe vigens.
Occidit Insignis, quem gens bene culta stupebat,
Et quem non pauci ferme habuere deum.
Occidit incensus divini pectoris igni,
Quo, facili nisu, magna peracta dabat.
Ordine quid referam veterum monumenta virorum,
Quae cupide plenis haustibus imbiberat!
Quid tollam, quo nunc Germania tota superbit,
Omni majorem laudis honore virum?
Fors mihi Fortunae puero quae contigit olim,
Unice ab hoc fausto sidere parta mihi est.
Patre bono primis heu! jam privatus ab annis
Parvus eram, exsultans, segnis, iners et inops.
Sic ego in exigua circumvagus urbe [1]) ferebar,
Expers culturae consiliique boni.

[1]) Elsterbergae apud Variscos.

Ecce pater pueri, qui tum efflorescere coepit,
    Me simul, ut natum, fovit et instituit.
Forte *vir egregius* parva degebat in urbe,
    Doctor ad Ernesti compositus studium;
Huic pater amborum sapienter tradidit ambos,
    Panderet ad Musas his bene ut ille viam.
Bamlerus (pueris nobis hoc dulce sonabat
    Doctoris nomen) laude peregit opus.
Linguarum veterum fundis prudenter apertis,
    Sors bona nos ambos ad graviora tulit.
Nec mora, nos ambo Portam deducimur almam,
    Quam tu *Musarum* dixeris *Elysium*.
Sex ibi Musarum ductu complevimus annos,
    Alter in alterius vixit amore potens.
Unus quod voluit, placuit simul alteri amico,
    Una anima eximio rexit amore duas.
Lipsia tum rursus tecto nos junxit in uno,
    Post me te cepit, grata Gubena, virum.
Vos igitur, quantus laceret mea pectora luctus,
    Vestra, Pierides, arte docete bonos.

* * *

Qui potero infandum sine amico ferre dolorem!
    Obvius occurret post mea fata; feram.

1.

Ad Fridericum Jacobsium
Monachium abiturum.
1809.

Ergo fuere preces vanae, quas fudimus omnes!
Ergo te nobis fors male fida rapit!
Ergo decus, quo se jactabat Gotha, remota
Posthac perfundet lumine rura suo!
Ah lacrimosa dies, qua mox nobisque scholaeque
Optime, dicendum est, doctor, amice, vale!
I, Tua quo virtus vocat et doctrina, sed esto
Juncti nobiscum foederis usque memor.

2.

Ad Boettigerum
cum ejus diem natalem a. d. 8. Jun. 1824 prope Dresdam in valle amoenissima, quam dicunt *Plaviensem*, celebrarent veteres novique amici.

Haec vallis, qua non reperitur amoenior usquam,
Me tibi natali junxit, amice, tuo.
Adsunt non pauci, qui te venerantur amantque,
Ut genio accendant munera grata pii.
Adsum et ego, ut faustis, iterat quas laeta caterva,
Vocibus accedant, quas ego fundo preces:
Te precor (ut mecum cuncti una voce precantur),
Arte sua servet doctus Apollo [1]) *diu.*
Sic, qui semper eras, mihi porro manebis Orestes,
Nec Pylades firmo cedet amore tibi.

---

[1]) Apollinem intellige, qui simul aderat, clarissimum medicum *Weigelium*.

3.

Ad Eichstadium [1]).

1834.

Dum venor lepores, sapientius ecce lepores
Eichstadius docto fundere ab ore solet.

4.

Kriesio suo natalem gratulatur.

Concipimus pia vota quidem, quoties tibi, Kriesi,
Conjugis experti lux hodierna redit;
Illa sed heu! spissas coeli dispersit in auras
Semper adhuc saevi vis violenta Noti,
O utinam tandem, sic mente animoque precamur,
Haereat in collo blanda puella tuo.

5.

In eundem diem.

Optima lux salve, rediit natalis amici,
Quo pia corde pio fundere vota decet.
Faustior hic redeat, sic opto, quotannis amico,
Non erit hoc nobis laetior ille dies.

6.

In eundem diem.

Di tibi dent thalami sociam, sic laetior usque
Natalis redeat, suavis amice, tibi.

[1]) Cf. Eichstadii libellum Doeringii et Ramshornii memoriae sacrum p. 8.

7.

In eundem diem

anni 1836.

Jam veniunt dominorum e prato [3]) prospera vota,
Natali surgunt quae vaga ad astra tuo.
Sis, qui semper eras, constanter fidus amicus;
Donec nos ambos fata tulere, vale.

8.

Ad Kriesium

quum indices in Horatium ex longo tempore promissos mitteret.

Spe vana lactate diu tandem accipe, amice,
Rem tibi promissam, et desine porro queri.

9.

Ad Schulzium.

18. Sept. 1818 [4]).

Dicite, quid faciunt mensam de sede moventes?
Num fortasse loco pellitur illa suo?
Non, si rem spectes; non mensa, sed ora moventur,
At celerem linguam Schulzius osque movet.

---

[3]) *Dominorum pratum* vulgo dicitur is locus in quo Doeringii villa sita est.

[4]) Mos apud nos viget, ut, si quis novam sibi quaesiverit habitationem, proximis post emigrationem diebus amici in alterius domo conveniant de symbolis coenaturi; vocant *ein Tischrücken*. Dicto die apud Schulzium eo consilio conveneramus; Doeringius, qui una aderat, hos versus ex tempore fecit.

10.

Ad eundem.

Aug. 1820 [5]).

Schulzius ad Rheni terras cum nuper abiret,
Sollicito dixit pectore quisque: *Vale.*
At postquam rediit nostram nunc salvus in urbem,
« *Dulce caput salve* » quilibet ore sonat.

11.

Ad eundem.

28. Dec. 1820 [6]).

Irasci noli, coenam quod, amice, recuso;
Larga etenim stomachum praegravat esca meum.
Laudo dapes mensae brevis. Hinc ego, tutus ab omni,
Quod tentet corpus, malo manere domi.

12.

Ad eundem.

17. Jan. 1822 [7]).

Mens erat hocce die tenuem componere versum,
Sed mihi praeripuit cuncta poeta vetus.

---

[5]) Anno 1820 Schulzius cum principibus Solmensibus, qui scholam nostram illo tempore frequentabant, in patriam eorum terram ad Rhenum sitam profectus erat. Reducem illis verbis salutavit *Doer*.

[6]) Quum ad coenam invitatus Schulzio renuntiaret, hos versus misit.

[7]) Quum natalem Schulzii celebraremus, *Gallettius*, clarissimus tum historiarum apud nos professor, carmen aliquod,

13.

Ad eundem.

17. Jan. 1825 [8]).

Dum mea mens gravibus capitis cruciatibus aegra est,
    Laetitiae voces per tua tecta strepunt.
«*Vivat io!*» clamat vafer Engelhardus, et omnes
    Vivat io! resono, Schulzius, ore canunt.
Vocibus his laetis accedit amiculus aeger,
    Dum repetit toto pectore: *Vivat io.*

14.

Gymnasii Gothani doctores

ad

collegam Schulzium

17. Jan. 1827 vocati.

Collegae.

Adsunt, ut, quidquid tibi nunc proponere visum est,
    Collegae cupidis auribus excipiant.

Schulzius.

Auribus haud opus est; Genio, cui sacra parantur,
    Serta, joci, risus, liba merumque placent.

---

ut solebat ille, in Schulzii laudes recitavit. Quo audito Doer. illos versus fecit. Quum jocantes, ut fit, etiam graecos versus in collegae laudes desideraremus, *Jacobsius*, qui una aderat, nulla mora interposita, stilum non vertens haec exaravit:

Ἤθελον αὐτῆμαρ, πολυφίλτατε, δίστιχον ὑμνεῖν,
Ἀλλὰ παλαιὸς ἄπανθ' ἥρπασεν ὑμνοπόλος.

[8]) In Schulzii diem natalem scriptum. *Engelhardus*, qui hic commemoratur, erat typographus, lepidissimum caput, qui festivitate sua et facetiis plurimam nobis paravit voluptatem. Erat communis mihi et Schulzio familiaris.

Collegae.

Ergo, vivat io! (sua quisque ad pocula dicat),
Quem nobis olim haec lux celebranda dedit.

Schulzius.

Vivite, Collegae! Quae nos tenuere tenentque,
Haec, precor, haec solvat vincula sera dies.

15.

In diem natalem Schulzii.

17. Jan. 1828 *).

Cernis, ut hic sacram posuit bonus Angelus aram,
Qua splendet Bacchus, qua nitet alma Ceres?
Scilicet ut, Schulzi, qui te venerantur amantque,
Natalem celebrent, cernis adesse, tuum.
Vive, vale, utque soles, jucundos sparge lepores,
Tum quoque, cum lepidum nix teget alta caput.

16.

In eundem diem.

1829.

Dum penitus quassat tussis mala corporis artus,
Tentatumque gravat dum pituita caput,

*) *Angelus* ille est idem *Engelhardus*. Quum Schulzii puella, Augustae nomine, eo tempore graviter aegrotaret, collega noster, quominus solito more natalem suum celebraret, impeditus erat. Engelhardus igitur communes utriusque amicos ad se invitaverat. Quum Doeringius illos versus inter coenam fecisset, litteris consignatos Engelhardus in officinam suam misit, unde typis descriptos accipiebamus hospites.

Natalem celebrant, quos junxit amorque fidesque,
Laetitia pleno pectore rite tuum.
Absens a caris, a te, sed mente propinquus,
Ut fas est, pro te nuncupo vota. Vale.

17.

Ad Schulzium [10].

Vivat quisquis amat, vivant pater et duo amantes,
Hanc lucem festam quos celebrare juvat.

18.

In diem natalem Schulzii.

1836 [11].

Moenia, quae quondam construxit prisca vetustas,
Quae vulgo populus dicere claustra solet,
Illorum ante oculos tibi nunc versatur imago,
Lucem solemnem dum celebrare paras.
Lumina flectis eo, dum toto pectore fervens
Natos et natas nunc tibi adesse cupis.

19.

In eundem diem.

1837 [12].

Salve fausta dies, qua Schulzius omine laeto
Laudibus ac meritis coepit adesse suis.

---

[10]) Coenae aderat Schulzii filius, natu maximus, ejusque tum sponsa, nunc conjux.

[11]) Incommoda tum valetudine impeditus quum abesse cogeretur a Schulzii convivio, collegae tamen memor hos versus misit.

[12]) Absens nobis coenantibus misit.

20.

Ad convivas.

Calendis Martiis 1831 [13]).

Lux hodierna mihi dulcissima gaudia portat:
Lustra decem *Sophiae* dicor *amator* ego.
Vos ego, per terras celebrat quos Fama remotas,
Et Vos, quos junxit munus amorque mihi,
Grato animo appello, quod Vobis pectore laeto
Hunc mecum placuit concelebrare diem.

21.

Exhortatio

qua juvenes ad prudentem aetatis fructum excitantur [14]).

Ad exemplum: *Gaudeamus igitur etc.*

O vos! qui dulcissimam
Vivitis aetatem,
Carmina laetissima
Plena inter pocula
Dicite, sodales!

Donec virent genua,
Donec sanguis vernat,
Decet juvenilia
Vos sectari gaudia,
Et aetate frui.

Atra mors nam opprimit
Juvenes senesque,

[13]) Quum celebraret magisterii semisaecularia.
[14]) Eodem tempore scriptum.

Et defunctos lignea
Sublatos in cistula
Pulveri relinquit.

Ergo quae jucunda sunt,
Rapite de die;
At, quae parant tristia,
Et habentur turpia,
Fugite, sodales!

22.

Ad convivas senex

in duabus scholis celeberrimis Gubenensi et Numburgensi per tres annos et sex menses Rectoris et in illustri gymnasio Gothano per quadraginta sex annos et sex menses Directoris munere perfunctus [15].

«Ora mihi centum quamvis natura dedisset,
Non tamen eloquerer pectoris ima mei;
At pia, quae *vobis* debetur, gratia, *amici*,
Vivet, nec poterit post mea fata mori.»

23.

Ad Habichium [16].

Spes dulcis caros aeternum jungit amicos.
aut
Dulcis in aeternum spes fidos jungit amicos.

[15]) Dec. 1832. In muneris semisaecularibus.

[16]) Scripsit paucis diebus ante mortem. Est igitur novissimum ejus versuum pangendorum specimen, quod vel ob hanc causam multis amicis gratum erit.

Friderici Jacobsii
gymnasii illustris Gothani olim professoris

Epistola

ad virum doctissimum

Fridericum Guilielmum Doeringium
gymnasii illustris Gothani directorem
senem felicissimum.

1824.

Meministi, vir clarissime mihique amicissime, quum ante hos aliquot menses in amoenissimo suburbano Tuo, collegis et amicis assidentibus, diem variis sermonibus conderemus, mentionem injici saecularis festi, hoc ipso anno in gymnasio Gothano celebrandi, Teque, qui Tuus est erga me animus, in illa solemnitate aliquod voluntatis vocisque meae documentum requirere. Facile, quod volebas, a me impetrasti. Tantum enim apud me valet voluntatis Tuae significatio, ut nefas ducam ei non obtemperare; et tantum aberat, ut obsequium hac in re Tibi denegare vellem, ut animus meus etiam sponte ad tale quid suscipiendum ferretur. Magnus est meus, quod nosti, altisque radicibus pectori meo inhaerens amor gymnasii, cui Tu summa cum laude praees; quippe in quo, *Geislero* et *Strothio* ducibus, ad limpidissimos Musarum fontes sum admotus; postea vero litteras, quibus ibi imbutus fueram, per duos et viginti annos pro virili mea parte tradendas suscepi. Hujus amoris mei et alibi significationem dedi

aliquam [1]), neque unquam omittam dare, quotiescunque ejus rei oblata erit opportunitas. Iam quum nulla facile cogitari possit alia illustrior ea, quam festum crastina luce celebrandum allatura est, statui aliquid ad Te scribere de recenti gymnasii historia, cujus Tu ipse pars magna es; (quare vix fieri poterit, quin Tuum nomen, vir praestantissime, Tuaque laus utramque hujus scriptionis paginam occupet); ita autem scribere, quasi Tecum in exedra sedens, ubi senes cum senibus colloqui solent, sermonis, cujus nulla aetas est avidior, voluptate ducti. Age igitur, si quid Tibi a festi, quod paratur, apparatione superest otii, mihi otioso aures praebe paulisper, dum superiorum temporum memoriam recolo, Tibi, quae et ipse puer vidi, et quae a senioribus accepi, narraturus; hoc praesertim consilio, ut veteribus cum iis, quae nunc sunt, compositis et comparatis, quantopere haec nostra illis praestent, quantoque major sit Tua quam eorum, quibus Tu successisti, felicitas, clarissime appareat.

Sed dum in hoc argumentum, solemnibus hisce et cum hilaritate transigendis diebus accommodatissimum, mentem oculosque defigo, plurimarum rerum, publicarum etiam, ut fieri solet, quum commotior est animus, recordatio subit, quae inde ab eo tempore, quo puer gymnasio sum traditus, usque ad hunc auspicatissimum diem actae et transactae sunt; primum ejus, quae tum per orbem terrarum obtinebat, tranquillitatis et tamquam malaciae imago jucundissima; tum civilium tempestatum, quae in multis regionibus exortae gravissimas rerum conversiones ceu fluctus excitarunt. Quas procellas primum e longinquo, sed *ex terra* tamen *ipsique malis carentes* cum stupore quodam intuebamur; mox easdem opinione citius appropinquantes vidimus. Tum belli per triginta ferme annos extracti furores;

---

[1]) In oratione inserta libro, cui titulus: *Vermischte Schriften*. Vol. I. p. 87 sqq.

exterorum in patria dominatio; Germaniae servitium; jugum communi bonorum omnium conspiratione de cervicibus depulsum; libertatis recuperatae spes laetissimae; novae deinde curae et sollicitudines. In hac autem tot tantarumque rerum recordatione hoc prae caeteris animum advertit, quod in gravissimis illis tempestatibus parvum hoc, quo vehimur, navigium cum singulari quadam summi numinis favore et benignitate, tum eorum, qui ad clavum sedebant, prudentia nunquam ita fluctibus sit obrutum, ut cursum tenere non posset, neque ita in scopulos actum, ut frangeretur. Ac per totum hoc tot annorum, quantumvis turbulentorum, spatium nullum fuit tempus, quo principes, qui hisce terris nunquam non optimi contigerunt, publicam juventutis institutionem negligerent, aut quo non potius summa cura et sollicitudine cum universae huic rei, tum gymnasio imprimis Gothano prospicerent, cujus honore et incrementis haud aliter gloriari solebant, quam boni parentes carissimorum sibi liberorum felicitate atque successibus. Recordaris, vir clarissime, illius diei, quo divus *Ernestus*, cum aulicorum comitatu ingressus, in gymnasium venit, discipulorum ad Universitatem discedentium interfuturus examini [2]); et alterius illius, minus tamen priore illo laeti et sereni, quo *Augustus Aemilius* patris exequiis in gymnasio celebratis adesse dignatus est. His rebus plurimisque aliis, quae postea secutae sunt, scholae honorificis, ad litterarum autem splendorem et magnificentiam fructuosis, dum mente et cogitatione immoror, non possum quin mihi gratuler, quod hunc gymnasii splendorem praesens specto, quod saeculari ejus festo intersum, quod denique, id quod longe est exoptatissimum, ex collegis, quibuscum olim conjunctissime vixeram, plurimi supersunt, nec supersunt tantum, sed viribus, honore, laudibus florent. Inter hos, Tu, *Doe-*

---

[2]) Res commemoratur in Historia gymnasii Gothani, auctore *Schulzio* p. 297 sq. libro bonae frugis plenissimo.

ringi, vir praestantissime, ob muneris amplitudinem, aetatis gravitatem, annorum denique, quibus muneris societate juncti fuimus, numerum principe loco censendus venis; proximum tenet *Kriesius*, vir experientissimus, et utrique nostrum inde a longo tempore amicissimus, quem crastinae lucis solemnitatem oratorem Tecum esse conjuncturam impense laetor [3]. Si rara est felicitas, in festo, quod semel tantum per integrum saeculum recurrit, pompam ducere, idque in gymnasio inde a trecentis annis fama et frequentia florentissimo, rarior etiam, in tali festo cum tali viro vota vocemque conjungere, stipantibus et assidentibus collegis eruditissimis, praesente etiam sene optime merito, *Joanne Georgio Augusto Galletti*, viro celebratissimo, in juvenum denique florentissimorum coetu, quem majorem in his moenibus vix ulla alia vidit aetas, rarissima denique, laetissimi hujus honoris auctorem et parentem merito praedicari, nonne Te, *Doeringi*, prae multis aliis, qui huic muneri superiore tempore praefuerunt, et nunc in aliis scholis cum laude praesunt, eximium quendam fortunae fautricis favorem experiri fateris? In quam rem quo magis mentis aciem intendo, eo magis mihi persuadeo, Te plurimos vi-

---

[3]) *J. Matthias Gesnerus* in Epistola ad Chr. Henr. Geret, civitatis Torunensis sacrorum antistitem, quae legitur in ejus Opusculis Tom. I. p. 113. *J. Albinum Kriesium, Friderici* nostri *Kriesii* patrem, quem ad rectoris munus Torunum vocatum civibus amplissimae hujus urbis egregie commendabat, ita descriptum et adumbratum dedit, ut in patris imagine filium summa cum voluptate agnoscamus. Inter alia de scriptione quadam *Kriesii* sui agens, *sanum quiddam*, inquit, *et sobrium, et exquisitam accurationem deprehendere mihi in hac scriptione visus sum, quod ipsum proderet, nisi aliis quoque indiciis mihi constaret, animum in doctrina solida minime desultorium sed constantem et gravem et acrem atque in omnes partes attentum i. e. talem, qui etiam has virtutes levi aliquantum per naturam suam adolescentulorum aetati commendare exemplo suo et institutione queat.*

ros doctos, qui quidem in eadem aut simili conditione sunt positi, felicitate ita praecurrere, ut paucissimi tantum per omnem aetatem reperiri posse videantur, qui Tuam εὐδαιμονίαν exaequent, nullum fortasse, qui eam superet. Quod ut ego Tibi quoque persuadeam (nam plurimi homines, nescio quomodo, omnia alia sibi credunt facilius, quam se beatos esse) vel potius, ut Tibi, cur ita mihi persuasum sit, demonstrem, age, per singula eamus, et, quod ab illa solemnitate, cui haec scriptio quodammodo praeludit, minime abhorret, Te, cujus praeconio indicta est, cujus eloquentia illustrabitur, tamquam exemplar senis beati conspiciendum proponamus.

Solet autem, quum de felicitate hominis agitur, primum hoc quaeri, quo in loco et inter quos homines vivat, deinde, in qua sit conditione positus, denique, si in utroque fortunam fautricem est expertus, qua mente opportunitatibus ipsi oblatis utatur. Jam quod ad primum attinet, in ea urbe habitas, quae inter mediocres Germaniae urbes non mediocri felicitate gaudet. Nam si quis, ut Cicero loquitur[4]), Pacuviano illo *invectus alitum anguium curru, multas et varias gentes et urbes despicere et oculis collustrare possit*, multasne reperiat, quae pro suo modulo plures ad litteras et artes opportunitates offerant, pluresque sinu cives foveant, qui oblatis his commodis prudenter utantur? Quantum autem hoc est, in ea urbe vivere, in qua cum litterarum studiis libertas conjuncta est, leges coluntur, magistratus observantur, justitia omnibus sanctissime administratur, mores ad elegantiam exculti et expoliti spectantur, et, quae hac aetate non minima laus est, mediocritas illa dominatur, in qua Peripateticorum sapientia vir-

[4]) In reliquiis librorum de Republica Lib. III. 9. ab Angelo Majo ex palimpsesto Bibl. Vaticanae felicissime erutis, et mox, ut audimus, ex alio hujusmodi codice, in Gallicia forte reperto, multis accessionibus augendis. — Hic nuntius paulo post falsus est repertus.

tutis solium collocavit [5]). Unde quam egregii fructus efflorescunt! Temperantia, sobrietas, modestia, patriae amor, et aequus ille animus, qui praesentibus contentus quantum a cupiditatum furoribus tantum a temeritate et proterva licentia abhorret. Sic, ut hoc utar, libertatis sumus studiosissimi eamque oblatam amplectimur et fovemus; nunquam vero divinum hoc divinae providentiae munus apud nos fanaticis furoribus aut importuno novarum rerum studio in discrimen adductum est; et si qui forte tales ad nos venerunt, qui violentis rerum conversionibus nimium faverent, his idem contigit, quod *Isocrates* in Areopagi laudem commemorat, si quis civis improbis moribus in hoc concilium adscendisset, eum brevi tempore ita animo immutatum esse, ut ex malo et improbo bonus et frugi civis fieret. Quae res quantam vim habeat ad gymnasii Tui disciplinam, deinde dicam; nunc ad alia progredior.

Meministi fortasse, vir amicissime, quum ante hos septemdecim annos Monachium abiturus gymnasio urbique patriae valedicerem, me publice profiteri, nullius generis hominum laetiorem mihi beatioremque videri sortem semperque visam esse, quam qui juventuti litterarum studiosae erudiendae formandaeque operentur [6]). Idem nunc omnes Tuo exemplo confirmatum comprobatumque videmus. Nam

---

[5]) Ad hanc doctrinam respexit Horatius I. Epist. VI. 15. *Insani sapiens nomen ferat, aequus iniqui, Ultra quam satis est virtutem si petat ipsam.* Id. I. XVIII. 9. *Virtus est medium vitiorum et utrimque reductum.*

[6]) Aliter de eadem re sentiebat vir magnus, *Philippus Melanchthon*, cujus oratio extat *de miseriis paedagogorum* in Declamatt. p. 142 sqq. ed. Argentinae, et in selectis ejus orationibus, a *Friedemanno*, viro doctissimo, editis Vol. I. p. 64 sqq. Hanc *Melanchthonis* declamationem, nisi fallor, ante oculos habuit atque refutandam sumsit *Gesnerus* in libello, quem *de felicitate docentium in scholis* compositum (Opusc. var. argum. Tom. I. p. 59.) nemo sine voluptate leget.

ut nihil dicam de beata illa et quieta vitae ratione, quam optima studia ita praestant, ut, qui in iis versentur, Epicuri Diis quodammodo videantur similes, nec, quod Cato verissime profitetur apud *Ciceronem*, intelligant, senectutem ipsis obrepere, quid, quaeso, jucundius et honesti ingenuique animi viro dulcius, quam quotidie circumflui examine puerorum ex magistri ore pendentium, eum suspicientium, amorem ei et reverentiam verbis factisque significantium, praeceptis ejus gaudentium, voluntati atque optatis ultro occurrentium? Quae Tibi omnia inde a longo tempore tam egregie contingunt, ut neminem noverim, ad quem verius quam ad Te referri possint Callimachea haec:

γηράσκει δ' ὁ γέρων κεῖνος ἐλαφρότατα,
Κοῦροι τὸν φιλέουσιν· ἑὸν δέ μιν οἷα γονῆα
χειρὸς ἐπ' οἰκείην ἄχρις ἄγουσι θύρην [7]).

Quid? quod plurimi, qui Te pueri praeceptorem et magistrum venerati sunt, nunc viri facti cum reverentia diligunt; inter quos haud pauci, generis nobilitate, honorum splendore, doctrinae omnis generis laude conspicui, sibi gratulantur, quod Te nacti sint ad litterarum virtutumque studium ducem. Ut autem libri, quos in lucem emittis eruditissimos, per omnes terrarum partes, quibus Musis litatur, studiose leguntur, a librariis cupide expetuntur, typis iterum iterumque exscribuntur, ita nulla fere est Germaniae regio, quae non vivos et spirantes laudum Tuarum praecones alat, qui, hanc Musarum, in qua ipsi formati

---

[7]) Servati hi ex Elegia versus ap. *Stobae.* Floril. p. 585. minus recte ad *αἴτια* relati in Collectione Bentlejana Fragm. XI. Vid. *Valckenarium* in *Callimachi* Eleg. fragm. p. 209. Versa sunt ab *Hugone Grotio* Callimachi disticha:

Ille senectutis tempora laetus agit,
Aetas quem puerilis amat, velutique parentem
Deducunt juvenes limen ad usque manu.

Expressit hunc locum *Cicero* in tesselato illo de Senectute libello c. 8. *levior fit eorum senectus, qui a juventute coluntur et diliguntur.*

sunt, officinam cum desiderio respicientes, saepenumero filios quoque suos in studiorum incude ponendos [8]) ad eam deducunt, aliisque, ut suos eodem mittant, auctores fiunt. Quod autem ex remotissimis Germaniae vicinarumque terrarum regionibus discipuli affluunt, ita ut vetusta gymnasii moenia florentissimae juventutis copiam vix capiant, id non solum doctrinae Tuae debes et in docendo sollertiae, sed aliis etiam virtutibus, cum civitatis hujus moribus civiumque indole et ingeniis arctissime conjunctis, comitatem dico, illamque in sentiendo et judicando sobrietatem, ex qua prudentia et temperantia nascitur. Huic sobrietati, quae Tibi cum collegis communis est, magis haud dubie, quam fortunae cujusdam favori debetur, quod in tanto juvenum numero ne unus quidem inventus est, qui clandestinis illis *ἑταιρίαις* et sodalitatibus, de quarum, stolidis dicam an furibundis? machinationibus diaria politica per plures jam annos resonant, nomen dederit, aut de ea re saltem in suspicionem vocatus sit. Unde non solum, quod obiter addo, disciplinae in gymnasio Gothano bonitas, verum etiam hoc elucet, si qua alibi scelera meditati sunt pueri, id cuivis alii causae potius, quam dicendi docendique libertati tribuendum esse, quae libertas in nostris terris scholisque nunquam non servata est, quamque, si Deus nobis, ut fecit, etiam in posterum favebit, integram et inconcussam mansuram esse confidimus [9]).

---

8) Auctor Dialogi de Oratoribus c. 20. *Jam vero juvenes et in ipsa studiorum incude positi* etc. ubi nemo, quod sciam, interpretum graecum locutionis fontem aperuit. Versus Antimachi *ἐν Πιερίδων ἄκμοσι χαλκευτοὺς* dixit *Antipater Thessalon.* in Anth. Pal. VII. 409. linguam in *veritatis incude formatam Pindarus* Pyth. I. 86. ubi vide praeclarum interpretem Explicat. Tom. II. 2. p. 238.

9) Libertatis nomen quum hac nostra aetate gravi invidia laboret, haud majore jure, quam si quis religionem christianam ob plurima et saevissima, quae sub ejus specie commissa sunt scelera, odio velit persequi, lectores remittimus ad ea,

Ut autem in praecipua quadam felicitatis parte ponendum est, si cui, ut inter homines liberales litterisque excultos vivat, contigit, ita imprimis beatus est dicendus, cui ephori obtigerunt et collegae, qui eodem studio incensi, ad id, quod in vita et litteris est praestantissimum, con-

quae *Heynius*, vir prudentissimus (in Opusc. Tom. I.), ante hos sexaginta annos *de veris bonarum artium litterarumque incrementis ex libertate publica*, dixit, plaudentibus omnibus, qui de his rebus judicare poterant, *Munchusio* etiam, at quanto viro! et si quis erat *Munchusii* similis. Quanto autem vir idem doctissimus libertatis amore flagraverit, cum multis aliis in locis, tum haud scio an nullo alio disertius significavit, quam in *Oratione in solemnibus parentalibus Munchusio celebratis* (Opusc. Tom. II. p. 420) habita. Quaedam inde excerpsisse liceat. Postquam Georgiam Augustam tamqnam sanctam Libertatis parentem orator salutavit, sic libertatis commemoratione tamquam incensus et inflammatus pergit: *Hujus libertatis cogitatione animum meum curarum laborumque assiduitate fractum saepe recreare soleo. — Hoc quidem bono contineri video quicquid caeteris vitae bonis dulcedinem veram et plenam jucunditatem affundere potest; et hoc bono erepto caeterorum bonorum omnium fructum, studiorum illecebras, ingenii fomenta, ingenuam doctrinam, sapientiam, veritatem, ipsam humanitatem eripi. — Homini sobrio ac generoso miseria cogitari major potest nulla, quam animi sensus, ingenii inventa, mentis judicia, metu aliorum, quorum obtusum acumen et ipse et sanus quisque rideat, dissimulare et occultare, aut si quid dentium claustra perruperit, pusillorum animoram et ingeniorum odia suscipere, in religionis ac pietatis malam suscipionem adduci. De Georgiae Augustae fortuna, Deus omen avertat, nunquam equidem metuam; sed ut metuam, habere me arbitrabor tum, si qua mala fraus hominis hanc nobis Aegidem, hoc Palladium eripuerit. Non deerunt ingenia praeclara et ornata, non deerit honesta industria; modo nulla auctoritatis in formulas ac verba aliorum jurare cogat.* — Praeclara verba, quae, aureis literis consignata, affixa videre velis in qnovis collegio, ubi de scholarum et Universitatum salute agitantur consilia.

tendentes, muneris ipsi impositi onus allevare et possint et velint. Quantum igitur hoc fuit, quod per tot annos *Loefflerum* habuisti gymnasii πρωτέφορον, virum gravitate, doctrina, prudentia eximium, qui, quod litteris alendis opus esset, optime intelligens, libertatem docendi egregie tuebatur, neque, quod multi faciunt, amplitudinis suae et auctoritatis fructum in imperando, jubendo, vetando, omninoque multa movendo et moliendo positum esse putabat. Qui quum optime nosset, ingenuum animum discipulis inspirare non posse nisi qui ipse sit ingenuo animo, neque juventutem ad sentiendi cogitandique liberalitatem adduci, nisi ab eo, qui liberali sit et excelso ingenio, vix autem impediri posse, quominus se ad turpem humilitatem sordesque abjiciat, qui, ne fame pereat, vel minimo lucello intentus esse cogatur [10]), hoc imprimis sibi existimavit curandum, ut professorum stipendia, pro laborum modo nimis exigua, augerentur; quumque summa apud principes eorumque ministros auctoritate floreret, hanc omnem ad eam rem efficiendam impendit. Quantum autem praeterea gymnasio profuerit, quantum docendo monendoque praestiterit, quot egregios viros gymnasio conciliaverit, id nihil attinet scienti narrari, praesertim quum hoc optime factum sit a *Schulzio* nostro, viro praestantissimo, in libello nuper edito, quem ea, qua solet, diligentia de historia gymnasii concinnavit [11]). Quanta autem postea Tua

---

[10]) Antequam res de mercede a discipulis solvenda, *Geislero* auctore, rectius constituta esset, magistri statis quibusdam diebus, die natali suo, ad festum St. Johannis et aliis honorarii loco munus solebant accipere. Quae res quot iniquitatibus locum dederit, noli quaerere. Erant, qui tali die appropinquante neque promissis, neque blanditiis parcerent, ut largius quid et pinguius a pueris donum elicerent; iidem, spe decepti, in miserorum puerorum terga plagis et verberibus immanem in modum grassabantur.

[11]) Vide etiam *Uckertum*, collegam conjunctissimum, in vita soceri, *Loeffleri* Opusculis Vol. I. praefixa, c. XLVII. et passim.

fuit felicitas, quod, quum *Loefflerus* litteris, ecclesiae, gymnasio et Tibi subita morte ereptus esset, prospera fortunae aura afflante, *Bretschneiderum*, virum venerabilem, nactus es *πρωτέφορον*, qui nunc cum maxime viam, *Loeffleri* vestigiis signatam, non minori alacritate persequitur, ejusdemque exemplum doctrina, moribus, humanitate egregie aemulatur. Sed quod tam praeclari Tibi contigerunt ephori, id magnam partem fortunae munus est; quod autem tot habes amicos, quot collegas, hoc totum Tibi debes. Pars collegarum ex Tua disciplina prodierunt; duo necessitudine Tecum conjuncti sunt; reliquos comitate Tibi conciliavisti; neque ullus est eorum, quin Te litterarum et officii amore, docendi sollertia et assiduitate, doctrina etiam et ingenii fama apud exteros sine invidia aemuletur. In scholastica enim tamquam civitate *unum debere omnibus esse propositum, ut eadem sit utilitas unius cujusque et universorum*, quod *Ciceronis* est de republica praeceptum [12]), id tam praeclare intelligitis, ut vix aliud reperiatur hujusmodi collegium, a quo livor et invidia tam procul absit. Quare quod saepenumero scholarum etiam bene constitutarum incrementis nocet, magistrorum inter se discordiae et simultates, eae in vestrum coetum non intrant, neque ulla vos *ἔρις* vexat, nisi quae, *ἀγαθὴ* ab *Hesiodo* [13]) appellata, nullis magis est commendabilis, quam iis, quibus serendum est *quod et huic quo vivimus et alteri saeculo prosit.* Unde magno cum reipublicae emolumento efficitur, ut res vestrae in dies laetius efflorescant, litterarumque studium tanto fervore agatur, ut juvenes e gymnasii Gothani disciplina profecti in omnibus fere, quas frequentant, Academiis exquisitioris cujusdam doctrinae laude floreant, cujus nullum certius est documentum, quam quod raro annus praetermittitur, quo non unus aut alter eorum

---

[12]) *Cicer.* Offic. III. 6.

[13]) Hesiod. *E. καὶ Ἡ.* v. 27.

praemio quodam, in publicis litterarum certaminibus ibi proposito, ornetur [14]).

Clarius autem, vir praestantissime, felicitatis Tuae ratio, simul cum fontibus, unde magna ejus pars profluxit, apparebit, si tempora, quibus Tu ad munus rectoris capessendum huc es arcessitus, accuratius perpenderimus. Incidit enim rectoratus Tuus in ea tempora, quibus certius

---

[14]) Nomina τῶν ἀθλοφόρων inde ab anno 1815 recensuit *Schulzius* noster in Hist. gymnasii p. 295. not. 40. Non minus commemoratione dignum est hoc, quod, qui in gymnasio Gothano ad humanitatem formati sunt, etiam moribus et modestia in Academiis conspiciuntur. Quare de his quidem dicta esse non possunt verba *Plinii* VIII. Ep. 23, 3. ubi de saeculi sui adolescentibus conquestus, *quotusquisque*, inquit, *vel aetati alterius, vel auctoritati, ut minor, cedit? Statim sapiunt, statim sciunt omnia; neminem verentur, imitantur neminem, atque ipsi sibi exempla sunt.* Quae verba, una cum simili loco *Senecae,* diaria, quae res novas per orbem terrarum gestas narrant, nuper excitarunt, tamquam iis juventutis studiosae, qualis nunc est, indoles atque ingenium adumbretur. Solent enim illae chartae, politicae scilicet, ut morosioribus et tetricis superioris aevi laudatoribus placeant, omnia corradere, quibus florentissimam Germaniae juventutem apud nostros in odium, apud exteros in contemtum adducant. Esse nonnullos, qui stolida arrogantia peccent, non nego; sed quae tandem aetas tales non genuit? Contra longe maximae juvenum hujus saeculi parti accommodari possunt ejusdem scriptoris de Avito juvene verba, quae ibi continuo leguntur: *Sed non Avitus, cujus haec praecipua prudentia, quod alios prudentiores arbitratur; haec praecipua eruditio, quod discere vult.* Caeterum qui juventutis nostrae perversitatem, si qua est, incusantes eam, quod hodie a multis fieri video, ad libertatis nescio cujus abusum referunt, legant illi, quaeso, quae ante hos ducentos et eo diutius annos *Wilkius*, rector meritissimus (in Suada Wilkiana Or. VIII. p. 147. Or. XIII. p. 309. et aliis locis (Cf. *Schulzii* Hist. gymn. p. 92. s.), et sexaginta annis ante eum *Ph. Melanchthon* (Decl. p. 143. et p. 149 sqq. et in Select. Oratt. Vol. I. p. 65 sq. et p. 71 sqq.) de adolescentulorum licentia conquesti sunt.

et melius quam unquam antea intellectum est, quanta in liberali juventutis institutione vis sit ad mores formandos et ad augendam civitatum felicitatem, quae tota in moribus est posita; liberalem autem, quam dicimus, institutionem nullam esse, nisi quae litteras, quibus humanitatis disciplina continetur, ob ipsam rei praestantiam et magnitudinem, non ob lucellum aliquod et vilia praemia appetendas esse doceret. Hoc, quod hodie nemo est paulo cordatior quin ita animo teneat, ut aliter existimari et sentiri posse vix credat, nobis pueris a multis, qui se prae caeteris sapere existimabant et auctoritate pollebant, parum intelligebatur. Erat enim vulgaris opinio, illas litteras, unde verus ingenuae vitae fructus capitur, ad vitam ipsam remque publicam parum esse fructuosas, quique iis operam navarent, umbrae scholae relinquendos esse. Exiguus tum erat in hac urbe eruditorum hominum numerus, nemo fere, qui litteris et doctrina excelleret, et si quid esset litterarum et humanitatis, id in principis aula habitabat, nec id tamen ex antiquitatis, unde par erat, fontibus, sed ex recentiorum, Franco-Gallorum imprimis, *Dacierii*, *Rollinii*, *Voltarii*, aliorum similium rivulis haustum et derivatum. Quid mirum igitur, si aut omnes aut plurimi puerilem et scholasticam institutionem unice ad sordidam aliquam utilitatem referrent, hominesque, qui huic negotio operam dabant, tamquam umbraticos et mercede conductos contemnerent? Hinc factum, ut, eorum, qui hanc scholam saeculo decimo sexto prudentissimo consilio fundaverant, via et ratione neglecta, latissimus scholasticae institutionis campus in arctissimum gyrum contraheretur, ita ut praeter sermonem latinum, arithmeticae quantum ad rationes accepti et expensi sufficeret, et levem quandam historiae universalis speciem nihil fere traderetur pueris, nisi forte tenuia quaedam graecae et hebraicae linguae rudimenta, nec haec omnibus, sed futuris tantum theologis. Graeci enim sermonis studium non ut hodie ob

singularem ejus praestantiam antiquitatisque cum eo conjunctam scientiam commendabatur, sed ad hoc unice referebatur, quod ad Novi Testamenti codicem utcunque interpretandum faceret; nec latinum sermonem ob aliam quandam causam, quam ob multiplicem in forensibus aliisque negotiis usum, addiscendum esse existimabant. Quod si quaeras, quomodo factum sit, ut litterae in hac civitate nostra et in schola imprimis ad tam miseram conditionem deprimerentur, hoc praecipue in causa fuisse suspicor, quod iis temporibus, quae nostram aetatem praecesserunt, longe maxima studiorum pars relata fuerat cum ad theologiam, et quidem ad eam ejus partem, quae se in discrepantium opinionum disceptatione et confutatione jactat; tum ad dialecticen, quae disputantibus et pro *Lutheri* doctrina, id est, pro aris et focis, digladiantibus arma suppeditaret. Ut tum res erat, illa fortasse institutionis ratio, quantumvis perversa, excusari quodammodo poterat; neque minus tamen certum est, nihil facile reperiri posse, quod non dico ad ingenia formanda sit ineptius, sed quod verae sinceraeque religionis radices certius ex puerorum animis evellat, pietatisque fibras et semina exstinguat et elidat, quam steriles illae et spinosae de rebus inexplicabilibus controversiae. Dixerit fortasse quispiam: at disputationes illae de rebus gravissimis susceptae puerorum ingenia acuebant et tamquam irritabant; praeterea autem, quid verum esset in opinionibus de rebus divinis, quid falsum, disceptando et disputando in clariore luce ponebatur. Qui insignis est error. Quid enim, quaeso, dialecticis illis exercitationibus ad veri vestigia indaganda effici potuit, quum discipulis, non magis quam magistris, non liceret, ab Augustanae Confessionis Formulaeque Concordiae rigidis statutis vel latum unguem discedere? Et quid tandem tot tamque acribus disputationibus, quae superioribus saeculis non a pueris et tironibus, sed a gravissimis doctissimisque theologis ad componendos in ecclesia tumultus habitae sunt,

ad eliciendam stabiliendamque veritatem erroremque latentem investigandum et exstirpandum effectum est? Nihil omnino. Neque aliter evenire potuit. Gladiatores enim ad eam rem compositi diu antequam in arenam descendissent apud animum suum constituerant, quid pro vero falsoque habendum esset; et si quis eorum a praecepta opinione voluisset recedere, adversarioque veriora dicenti concedere, id ipsi vix licebat facere ob imminens suarum partium odium, adversariorum autem contemtum et irrisionem. Quod egregie intelligebat vir eximius, *Philippus Melanchthon*, quem post plurimas, quibus interfuerat, de doctrina christiana stabilienda disputationes adeo earum taedebat, ut se servum malle ad remum alligari diceret, quam ejusmodi colloquiis interesse [15]. Quod autem dicunt, illa certamina ingeniis acuendis inservisse, id ut non omnino nego, ita multo magis tamen stolidam per ea et inanem arrogantiam in puerorum animis excitatam fuisse contendo, conjunctam illam cum vanissima magniloquentia aliterque sentientium contemtu et odio. Quare minime mirari debemus, quum illa aetate, quae ingenia ad theologicas imprimis controversias acuebat, largissimam segetem pullulasse videmus eorum hominum, qui, ut *Epictetus* loquitur [16], *atra verborum et argutiarum fuligine ob oculos audientium jacta, sanctissimae disciplinae nomen animo moribusque ementiebantur*, locutulejorum et blateronum.

Sed redeundum est ad id, unde digressus sum. Quid in sana institutione scholastica sequendum esset, non fugiebat *Geislerum*, disciplinae in gymnasio instauratorem, quippe cui *Ernestius* viam ad id, quod in litteris expetendum esset, monstraverat; nec fugiebat *Geisleri* successorem, *Fr. Andr. Strothium;* sed neutri eorum fructus

[15] V. Fecht Suppl. Hist. eccl. P. II. 90. Thuan. Hist. Lib. XXXV. colloquia, quae instituuntur, ut theologis controversiis finis imponatur, majorum saepe excitandorum initium existunt.

[16] Ap. *Gellium* in N. A. 1. 2.

laborum, pro instaurandis bonis litteris susceptorum, ferre, talemque gymnasii splendorem videre contigit, qualem hodie, Te, *Doeringi*, ad ejus clavum sedente, singulari cum voluptate videmus. Sed de utroque viro singulatim agamus. Et *Geislerus* quidem qualis vir fuerit, non attinet Tibi, mi *Doeringi*, narrare, qui eo patrono atque amico usus, viri eximiam probitatem, animi candorem, et indefessam in officio exsequendo assiduitatem complurium annorum experientia edoctus cognovisti. Ipsum audivisti narrantem, ad quam miseram conditionem gymnasium depressum invenerit, quam desertum quamque neglectum; ita ut nemo fere, nisi pauperiores, aut qui filios ἀνδράποδα pro ἀνθρώποις fieri nihil curarent, modo mercedi paedagogis solvendae parcerent, pueros in publicam scholam mitteret; quantisque ipsi difficultatibus fuerit conflictandum, quum discipulos ad meliorem frugem adducere, parentibusque turpem socordiam excutere conaretur. A nulla autem parte magis laborabat quam a collegarum, quos primos habebat, voluntate. Erant inter eos, qui, ut citius scholae quasi ergastulo exsolverentur, clepsydram, ad quam tum docendi tempus metiebantur, clam concuterent, idemque quum a discipulis fieret, se videre dissimularent. Erant alii, qui horas ad animos moresque humanitatis disciplina formandos destinatas inhumanis clamoribus et conviciis perderent; alii denique, qui dum discipuli divina *Horatii* carmina aut *Virgilii* epos interpretabantur, libro capite incumbentes suavi sopori indulgerent. Quales sub talibus magistris discipulorum mores, quam exigui in litteris profectus fuerint, noli quaerere. Sed de his postea. Nunc hoc dicimus: *Geislerum*, quum scholam tamquam sordibus et squalore obrutam accepisset, neque viribus parceret, ut eam ad laetiorem cultum adduceret, non solum eorum, quorum maxime intererat, ut suus litteris restitueretur honos, voluntate destitutum fuisse, verum hos ipsos innovationum suarum (invidiosum enim nomen inurebant iis, quae vir optimus optimo

consilio moliebatur) acerrimos adversarios esse expertum. Memini inter alia, quum de difficultatibus quereretur, quae ipsi in Graeci sermonis turpiter jacentis studio excitando non tam a discipulis, quam ab horum parentibus suisque ephoris objicerentur, quantopere ipsi laborandum fuisset, ut exiguas litterarum scintillas sub cineribus latentes suscitaret. Erat tum inter ephoros gymnasii vir quidam spectabilis, qui pro erudito habebatur, quod paulo majorem quam caeteri latini sermonis usum habebat. Hic vir, litterarum graecarum rudis, et, ut fit, alieno ab iis, quae ignorabat, animo, quum accepisset, *Geislerum*, ut discipulos sensim ad graecae antiquitatis cognitionem adduceret, in suprema gymnasii classe *Palaephati* Incredibilia explicare, non erubuit in eo collegio, quod in terris nostris rebus scholasticis praeest, collegis suis, viris bonis, sed a bonis litteris alienis annuentibus, virum optime meritum ob illud facinus scilicet graviter reprehendere, causa etiam adjecta, quod *Palaephatus* auctor esset nimium difficilis. Vix decem annis post hic scriptor pueris infimae classis oblatus est legendus, donec paulo post, manibus eorum excussus, melioribus libris locum dedit. Aliud addam. Saepenumero *Geislerum* audivi narrantem, quum diceret, se aliquando in supremum principis consilium fuisse vocatum, ut rerum a se novatarum (*recentatas* dixissent rectius) rationem redderet. Quod quum diserte et perspicue fecisset, unus ministrorum, vir amplissimus, sed parum doctus, digito sublato, tamquam moniturus errantem, cave, cave, inquit; cives Gothani talia non ferunt aequo animo! — Quasi rectori scholae, aut qui praeterea puerili institutioni praesunt, magnopere curandum sit, quid tunicatus popellus in cauponis et ganeis de humanitatis disciplina desipiat! — Haec et alia hujus generis, quae narrare possum, ejusmodi sunt, ut Tibi, *Doeringi* doctissime, collegisque Tuis magis etiam quam illa impexae antiquitatis commenta, quae *Palaephatus* sibi refutanda sumsit, incredibilia videri debeant. Sed sic

tunc vivebant homines, in tenui illo nebulisque obscurato lumine ne suspicantes quidem, quantam quamque illustrem lucem proxima aetas cum universae institutioni puerili, tum gymnasio nostro accensura esset.

Post undecim annos, quibus gymnasio praefuerat, *Geislerus*, impedimentorum pertaesus, quae ipsi undique objiciebantur, reliquit scholam, cui plurimum profuerat, magis etiam profuisset, si per ipsum stetisset [17]). Tum *Strothius* Quedlinburgo arcessitur. Hujus viri ad nos evocandi consilium qui dederit, ignoro equidem; sed quisquis ille fuit, scholae divinitus consuluit. *Strothius* in *Semleri* scholis, quibus una cum *Schützio* [18]), quem honoris causa appellamus, quique ex *Strothii* aequalibus hodie solus superest, diuque ut supersit, optamus, et cum *Griesbachio*, Universitatis Jenensis olim decore et ornamento, interfuerat, simul cum Theologiae verae et sincerae amore historiae scien-

[17]) Aliquid utilitatis et splendoris adeo ad gymnasium redundavit inde, quod *Geislerus* sibi principis hereditarii, qui postea *Ernestus II.* fuit, voluntatem conciliaverat. Divo Principi primum ob hanc causam fuerat commendatus, quod non solum, quod *ante pedes esset, spectandum, sed coeli quoque plagas sibi scrutandas censeret,* ut *Ennius* loquitur apud *Ciceron.* de Divin. II. 13. Quanto hic princeps eum amore complexus sit, quamque studiose hunc amorem usque ad vitae exitum foverit, narravi in libro, cui titulus: *Vermischte Schriften* Vol. I. Cf. *Schlichtegrolli* Necrologum anni 1800. Tom. II. *Schulze* Gesch. d. Gymn. p. 264. Caeterum *Ernestus II.* cum ex divina animi sui indole, tum *Geisleri* monitis adductus, exsequebatur legem praestantissimam a Constantio et Juliano promulgatam, servatamque in Cod. Theodos. XIV. 1. 1. *ne litteraturae, quae omnium virtutum magistra est, praemia denegentur, eum, qui studiis et eloquio dignus primo loco videbitur, honestiorem faciet nostra provisio.*

[18]) Error, qui in his verbis inest, emendatus a Schuetzio in litteris ad me datis, quae leguntur in ejusdem vita a filio edita Tom I. p. 351 sq.

tiam penitus imbiberat, et cum utraque disciplina interiorem graecarum latinarumque litterarum cognitionem conjunxerat. Erat in eo ingenium excellens, judicium acre et subtile, memoria autem ita tenax, ut eorum, quae semel legisset audivissetque, vix quidquam efflueret. Accedebat ad haec insignis quaedam facundia, morum elegantia haud vulgaris, mitisque animi humanitas, quae ex vultu ejus oculisque elucens omnium, quibus placere vellet, juvenum et senum, virorum mulierumque animos facile capiebat. In gymnasio itaque brevi admodum tempore discipulos adeo sibi devinxit, ut, qui *Geisleri* discessum aegerrime tulissent, fateri non dubitarent, *Strothii* virtutibus prioris magistri desiderium egregie leniri. Non sine voluptate recordor scholarum, quas in bibliotheca gymnasii extra ordinem habere instituit, praesente delecto discipulorum numero, quos ad librorum cognitionem adduceret. Initium faciebat a sacro codice, cujus editiones nonnullae primum tum locum in bibliothecae forulis tenebant; disserebat de praestantissimis bibliorum editionibus, de polyglottis, de commentatoribus caeteris praeferendis, de critica denique sacris libris adhibita aut adhibenda. Tum pergebat ad patres, qui proximi loco erant; vitisque eorum, quorum opera ad manus essent, breviter enarratis, locos quosdam ex eorum scriptis proponebat, simulatque evolverat librum, graeca verba in patrium sermonem convertens. Erat enim in *Strothio* magna ingenii celeritas, quae etiam in parvis et minutis rebus elucescebat, in gravissimis autem ei id, quod opus esset, facile suppeditabat. Quam egregii viri virtutem ii, qui tum apud nos rebus scholasticis praeerant, non satis videntur perspexisse. Memini aliquando unum ex venerabili illo collegio me praesente narrare, examine discipulorum, qui in Universitatem dimitti postulassent, instituto, quum reliqui professores adessent, unum, qui Mathesin docebat, valetudinem excusasse. Tum *Strothium* se sponte obtulisse, qui absentis magistri partes susciperet, vicemque ejus de

Mathesi interrogando impleret. Jam omnes miratos esse, verentes scilicet, ne *Strothius* nescio qua levitate et inconsiderantia professus esset, quod praestare non posset, erectosque exspectasse, quomodo se ex his salebris expediturus esset. At illum praeter omnium opinionem tanta cum perspicuitate tantaque elegantia suscepto negotio satisfecisse, ut nemo jam absentis magistri doctrinam officiumque requisiverit. Res minime mirabilis in tali viro, nec tanto stupore digna; sed hoc mirabile, rei scholasticae praefectos *Strothii* ingenium atque doctrinam ita non habuisse perspectam, ut, nisi quae discipulis quotidie inculcaret, ea ipsum tenere non crederent, prudentiamque viri, quae in eo plane singularis erat, eosdem ita non intellexisse, ut eum se temere difficultatibus implicare arbitrarentur, ex quibus se expedire non posset. Addam aliud promtae ejus in docendo copiae et facultatis documentum. Aliquando quum professor, qui in classe selecta historiam universalem solebat tradere, discipulis jam congregatis, misisset, qui eum ob subitum quoddam impedimentum excusaret, *Strothius* vicibus ejus functurus, quum auditorium ingressus esset, ex discipulis quaesivit, in quonam capite compendii (Schroeckhianum erat) magister substitisset. Quod quum ipsi a discipulis indicatum esset, statim, sicut erat, vix oculis in librum conjectis, universam rerum tradendarum seriem tam diserte tamque lucido ordine enarravit, ut eum in historia profana non minus quam in sacra habitare appareret.

Accedebat ad has *Strothii* virtutes etiam haec, quae non infima est earum, quibus boni rectoris officium et praestantia censetur, quod ingeniorum erat existimator perspicacissimus. Jam quum in puero aliquo studiorum cupiditatem ardoremque discendi animadvertisset, ita ut bene de eo sperari posset, nihil antiquius habuit, quam ut ingenii in eo scintillas excitaret, quaeque in animo ejus laterent felicis naturae semina, ea foveret atque proliceret.

Quod non solum docendo efficiebat, sed multo magis et efficacius, quasi aliud agens, per familiaris opportunitatem sermonis. Tales enim facile ad se admittebat; libros, quibus ad studia opus esset, ex instructissima bibliotheca sua commodabat, prudentibus consiliis juvabat, fervidiora ingenia praeceptorum salubrium tamquam freno cohibens, timidioribus calcaria addens. Saepissime etiam (semel plerumque per hebdomadem) aliquot ex praestantioribus vesperi post coenam ad se invitabat. Tum de litteris cum iis disserebat; de novis libris, quos auditorium nosse interesset, commemorabat; quid de his allisque ad litterarum studia pertinentibus rebus judicaret, libere edebat; assidentesque excitabat, ut de quo quisque vellet percunctaretur, suamque ipse sententiam de quaque re exprομeret. De hisce consessibus, ad quos invitari et admitti honorificentissimum videbatur, sicut erat, ad doctrinam uberrimis, ad ingenia acuenda moresque formandos fructuosis, et alii dixerunt, et *Ludovicus Wachlerus*, Professor Vratislavensis, vir clarissimus, qui historiae litterarum amorem, cujus praeclara documenta publice dedit, in illis praesertim consessibus, Noctes atticas dicas, se imbibisse fatetur.

Hic tamen talis ac tantus vir multum abfuit ut felicitatis, qua dignus erat, fructum perciperet. Nam inter eos, qui praestantissimi viri studia et conatus totis viribus debebant juvare, adversarios habebat aliquos, qui falsa quadam de eo opinione decepti currentem interdum sufflaminabant. Sed de his rebus praestat tacere, quam disertum esse. Nec magis lubet dicere de domesticis, quibus laborabat, procellis, quibus mox effectum est, ut corpus, non admodum firmum illud, insanabilis vi morbi corriperetur. Tabes erat, quam hecticam vocant. Nec in ultimo hoc vitae suae actu sibi impar fuit. Quanta tum quoque vultus orisque serenitate colloquebatur cum amicis, qui quotidie ad eum visendum veniebant! quantum etiam lecto affixus litterarum amorem significabat! quanta cum sollicitudine etiam

tum in amicorum discipulorumque, quibus favebat, res inquirebat, iisque, quantum poterat, consulebat! Solam coeli apud nos intemperiem impatientius ferebat; patrii soli salubritate marisque vicinia vires debilitatas refectum iri sperabat; in patriam itaque toto pectore ferebatur; medicisque spem illam foventibus, corpore viribus exhausto, sed animo alacri iter ingressus est. Non longe abiit. Duodecimo post discessum die in aquis Lauchstadiensibus, anno aetatis tricesimo sexto, sexto post munus rectoris susceptum, multis bonis flebilis placide exspiravit.

Huic tamen tam gravi vulneri gymnasium Gothanum non succubuit. Singulari divini numinis voluntate, quae tot per annos, ut huic terrae universae, ita scholae favit, factum est, ut Tu, *Doeringi*, Numburgo ad nos vocatus, scholae ad famam laudemque surgentis curam susciperes, susceptamque per quadraginta annos ita ornes, ut et docentium praestantia, et discentium frequentia, et disciplinae bonitate omnem superiorum temporum fortunam longo post se intervallo relinquat. Qua in re quid Tuo ingenio, doctrinae, constantiae, assiduitati debeatur, id nunc quidem praetereo; non enim hoc ago, ut laudes Tuas, quae meum praeconium non requirunt, persequar, sed ut doceam, quanta Tua fuerit in gravissimis rebus quamque singularis felicitas. De reliquis, quod satis videbatur, diximus; superest, ut de disciplina dicam, quam ante *Geislerum* turpiter prostratam, a *Geislero* erectam, a *Strothio* sustentatam, Tu, vir clarissime, sicut accepisti, ita servasti, neque servasti tantum, sed emendasti. Verum ut hac quoque in parte felicitas Tua, cum rei scholasticae apud nos felicitate artissime conjuncta, clarius appareat, age, rem altius repetam, quaedam eorum enarrans, quae ipse oculis meis vidi, vel a senioribus fando accepi.

Prostratam ante *Geislerum* dixi disciplinam, non quod nulla esset, sed quod pessima. Duae autem res eam pessumdederant, quae sibi adversari videntur, sed in cor-

ruptis et depravatis moribus conjunctae reperiri solent, prava quaedam lenitas, quae peccatis impunitatem tribuebat, et immanis saevitia. Erant enim magistri quidam, qui, aut ob turpem socordiam, aut turpiore etiam lucelli cupiditate commoti, libertatem, qua, quum legibus adstricta temperatur, nihil ad literarum incrementum ingeniorumque cultum uberius, ubi in licentiam convertitur, nihil perniciosius cogitari potest, libertatem igitur, sicut mali et improbi pincernae [19]), meracam porrigentes corruperant. Quod ubi fit, in scholis non minus quam in civitatibus, leges evertuntur, mores, studia, humanitas perit, pudor contaminatur, protervitas et insolentia dominatur. Tum magistri imbecillitatis suae conscientia tantum non de loco depulsi discipulos metuere, pessimo cuique blandiri, secretis artibus agere, delationes fovere, jus aequitatemque pessumdare. Tum cum iniquitate saevitia irrumpit. Illo certe tempore, quod dicimus, si disciplina jacebat, id cuivis alii causae potius, quam poenarum aut lenitati, aut parcitati tribuendum erat. Severa erat disciplina, non bona; ferociebant discipuli, saeviebant paedagogi. Fuste, pugnis, colaphis Musarum res magis quam verbis et praeceptis gerebatur. Orbiliis tunc schola abundabat, qui, quod praesens aetas non sine horrore audiet, nulla re magis, quam suppliciis, quibus miseros afficiebant pueros, delectabantur, quique se officium non facere posse arbitrabantur, nisi discipulos conviciis et verberibus terrerent; ob quod negotium fustes complures colurnos varii ponderis variaeque mensurae habebant ad manus. Audivimus, qui narraret, se talem paedagogum vidisse, qui pueros super tabulas et subsellia fugientes solitus esset persequi, donec anhelus, ore rubens, sudore fluens fustem iis impegisset. Tu ipse, *Doeringi* — *manserant* enim *vestigia ruris* — talem

[19]) Ducta sunt verba ex divino Platonis loco de Rep. VIII. p. 862. D. ubi vide *Astium*, scholae Gothanae alumnum eruditissimum, Universitatis Landeshutanae decus.

Te vidisse recordaris hominem, senem cerebrosum, qui pueros quartae classis formabat scilicet, quique brevissimam certissimamque in docendo viam per terga puerorum et lumbos censebat. A qua saevitia ephororum Tuoque jussu prohibitus, ita ut ei verberandi jus et potestas prorsus adimeretur, meministi, quanta tunc esset ejus tristitia, prae moerore, *ut iniquae mentis asellus*, demittentis auriculas, ita ut humilis atque dejectus vitam sibi vix vitalem esse arbitraretur. Forte tum puer caeteris petulantior et ob speratam impunitatem ferocior nescio quid delicti commiserat. Res defertur ad judices; puer ad ferulam damnatur; paedagogus noster poenam ab eo sumere jubetur. Haud facile quis credat, quam subito ille recreatus fuerit; ut vultus ex tetrico et truculento in hilarem et serenum mutatus sit; quanta cum trepidatione fustem, diu in angulo feriatum, puerorum olim terrorem, nunc ludibrium, depromserit; ut miserum illum nebulonem corripuerit, de loco suo detraxerit, et super scamno inclinatum plagis mulcaverit! Hic tamen solus supererat superioris aevi tamquam rudus atque reliquiae; viginti vix annis retro plurimi tales fuerant. Nihil tamen propterea disciplina melior. Discipuli, cucullis cyaneis, qui saepe flagitiorum velamenta erant, involuti per ganeas vagabantur, obviis insultabant, inter se ipsos proelia miscebant. Nihil enim tum frequentius pugnis inter discipulos diversarum classium, ut inter diversos populos, pugnatis. Neque solum tumultuabantur in auditoriis, sed saepe fustibus armati se ante urbis moenia in locum condictum referebant; ibique acie composita

Pellitur e medio sapientia: vi geritur res.
Haud doctis dictis certabant; sed maledictis —

Vadebant solida vi [20]. Probe mulcati, saucii, oculos frontemque sugillati domum revertebantur. Quomodo autem

[20]) Sunt verba *Ennii* apud Gell. Noctt. Att. XX. 10.

hi male feriatorum hominum furores sint puniti, quanta cum levitate, an stupore dicam, jus sit exercitum, uno exemplo docebo, hodie, ut multa illis temporibus acta, vix credibili, sed *Kaltwasseri*, qui rem mihi plus semel narravit, testis gravis et oculati, testimonio confirmato. Quodam die protephorus gymnasii ad magistrum, qui secundam tum classem regebat, mittit, qui eum juberet, discipulum illius classis, nomine appellatum, quod noctu per compita bacchatus ancillae protephori multa cum protervitate insultasset, verberibus punire. Respondet paedagogus, se alacri promtoque animo viri magnifici jussa exsecuturum esse. Quid multa? Vix auditorium intraverat, quum ecce in eum, quem sibi designatum arbitrabatur, involat fustumque ei impingit. Puer tam subita verberum procella obrutus, exclamat, se verbera, si commeruisset, non recusare, sed nihil se sceleris, nihil mali admisisse. Tum ille: Et tu etiam mussitas, nebulo? et fortius etiam brachia fustemque vibrat. Quid quaeris? Plagosus magister simul irae suae, simul protephori jussibus satisfacit; puer vapulat, frustra Deorum hominumque fide implorata. Paulo post protephorus ipse venit; quaerit ex Orbilio, num imperio obtemperaverit? Obtemperavi, respondet ille, sicut par erat, obsequiosissime, et ita nebulonis lumbos dedolavi, ut eum nunquam in posterum simile petulantiae documentum daturum esse confidam; simulque puerum plorantem digito monstrat. Tum ephorus, promta Orbilii obedientia verbis comprobata, oculos in miserum illum conjicit; miratur; non hunc a se designatum ait, sed alium, aut eodem, aut simili nomine. Quod prius fieri debuerat, ut in hominem atque delictum inquireretur, id nunc demum serius factum est. Verus reus reperitur; crimen fatetur; poena afficitur. — Haec erat illorum temporum disciplinae sustentandae ratio. Quantum diversa illa ab ea, quae nunc non minore aequitate quam lenitate exercetur; raro poenis, plerumque docentium gravitate, exemplo, monitis! Et quam boni tamen discipulo-

rum quamque incorrupti mores! Quanta intra gymnasii parietes, quanta per plateas et vicos incedentium modestia, ita ut illud de Lacedaemoniis adolescentibus subeat, quos *Xenophon* modestia virgines in thalamis nutritas aemulari ait [21])! Et si quid forte ab uno aliquo delinquitur, quanta cum sollicitudine, quam religiose in consessu docentium, *synodum* appellant, sed rectius Areopagum appellaveris, singula tamquam in trutina examinantur, perpenduntur, antequam de poena sumenda statuatur! Eadem vero justitia, eadem aequitas apud vos in decernendis praemiis conspicitur. Tribuuntur iis, qui merentur; indignis negantur. Censentur discipuli, quod in solemni illo gymnasii lustro bis quotannis omnium oculis patet, ingenio, moribus, doctrina, profectibus, non natalium commendatione, non patrum divitiis, non parentum in civitate potentia, auctoritate, gratia. Non quaeritur enim, quo loco quisque natus sit, sed in quo loco virtus eum collocaverit. Quod si, *Cicerone* auctore [22]), nulla species civitatis deformior ea, in qua opulentissimi pro optimis habentur, nulla autem praeclarior et praestantior, quam in qua virtus imperium exercet, quaenam, quaeso, scholastica tamquam respublica praestantior, quaenam fama, qua apud cives et exteros fruitur, dignior potest haberi ea, cujus inauguratio proxima luce, omnibus bonis plaudentibus, celebrabitur?

Has omnes res, strictim hactenus recensitas et perlustratas, si apud animum Tuum, clarissime *Doeringi*, reputaveris, ipse velim judices, an non beatissimus existimandus sis, quod rectoratus Tuus in haec tempora incidit, mitigatis et lenitis saeculi ingenio moribus, qui Te tutum praestiterunt ab illis tempestatibus, quae superiorum tem-

---

[21]) Nobilissimus est locus *Xenophontis* in libello de Rep. Lacedaem. IV. 5. *αἰδημονεστέρους ἂν αὐτοὺς ἡγήσαιο καὶ αὐτῶν τῶν ἐν τοῖς θαλάμοις παρθένων*, ubi *Longinus* *περὶ ὕψους* IV. 4. in suo codice *ὀφθαλμοῖς* perperam scriptum invenerat.

[22]) *Cic.* de Republ. I. 34. p. 88. ed. *Maji.*

porum rectores, viros optime meritos *Wilckios*, *Vockerodtios*, *Stussios*, vehementer exercuerunt? Unum addam. Nonne hoc quoque in felicitatis Tuae parte ponendum est, quod haec gymnasii saecularia Tibi contigit celebrare, duumviris amplissimis ad reipublicae clavum sedentibus, quales sapientiores, peritiores etiam et ad omnem humanitatem elegantius excultos vix alia aetas in gravissimo munere conjunxit? Quibus duumviris, *von der Beckio* et *Lindenavio*, si *Truetzschlerum* tertium adjunxeris, sociatae nobiscum Altenburgensium terrae praesentem et tutelarem genium, virum generis splendore incertum an ingenii et doctrinae elegantia illustriorem, quem annis et aetate gravem animo tamen et corpore mirum in modum vigentem laetamur, utque hac felicitate diu fruatur, optamus, si hunc igitur cum nostris illis *σωτῆρσι καὶ εὐεργέταις* mente et cogitatione conjunxeris, nonne exsultas gaudio, quod tales Tibi Triumviri, tamquam Hellanodicae aequissimi atque veracissimi, laudum Tuarum testes contigerunt?

Hic scribendi finem facere possem, nisi cum publica hac, qua tam insigni et singulari frueris, privatam quoque atque domesticam conjungeres? Et quantum primum hoc est, quod tam firma et inconcussa valetudine uteris, ut non magis quam Leontinus Gorgias [23]) habeas, quod hanc placidam lenemque senectutem accuses? Quid? quod non minore quam unquam alias assiduitate ad litterarum studia incumbis, neque solum muneris Tui officiis magna cum alacritate fungeris, verum etiam, cum corporis exercendi, tum animi recreandi causa, solis frigorisque patientissimus, vulpes leporesque per silvas camposque persequeris? Debes autem hunc vigorem eximiae Tuae temperantiae et vivendi aequabilitati, cui Te severius etiam adstrinxisti, quam Cato solebat; ita ut ex iis voluptatibus, quas ille se

---

[23]) *Cicero* de Senect. 13.

sibi concedere ait [24]), omissis *conviviis sermone ad multam noctem productis, poculis rorantibus* nonnisi rarissime indulgeas, neque quidquam fere Tibi permittas, praeter *refrigerationem aestate et ignem hibernum.* Ego quidem hoc quoque in parte felicitatis Tuae ponere soleo, quod vitae Tuae rationes ita descripsisti, ut hieme in urbanis aedibus litteris vaces, aestate autem in amoenissimo suburbani Tui secessu [25]) requiescas; in hac parte Persarum regibus, Susa statis temporibus cum Ecbatanis commutare solitis, par et similis; in plurimis aliis et his et caeteris, quotquot sunt, regibus multo beatior. Quantum enim hoc esse dicamus, quod domum vides longe florentissimam, conjugem Tui amantissimam, senectutemque Tuam summa cum sollicitudine foventem? filias specie formosas, utero foecundissimas; binos generos, Tecum et necessitudine et muneris societate conjunctos, utrumque laudibus suis conspicuum; alterum, oratorem sacrum egregium, plurima et multiplici doctrina insignem; alterum, cum totius antiquitatis, tum graeci sermonis ita studiosum et peritum, ut juvenis cum doctissimis in hoc genere viris componi queat; nepotes denique neptesque, in hac ipsa puerilis floris amoenitate, laetissima Te futuri fructus spe exhilarantes? Plura possum adjicere; sed nolo sermone nimium producto patientia Tua abuti. Finem igitur scribendi faciam, postquam Deum optimum maximum precatus ero, ut gymnasium hoc, quod per trecentos annos inter tot patriae pro-

---

[24]) *Cicero* de Senect. 14.

[25]) De hac Doeringii rusticatione ego quaedam dixi in oratione mea. — Quum anno 1802 aedes suas in horto exaedificasset Doeringius, elegantissimum carmen latinum conscripsit Fr. Jacobsius, quod quum perpaucis innotuerit hominibus, infra repetendum curavi. Multi ex Doeringii discipulis qui hanc villae descriptionem legent quique locorum notitiam adhuc tenent, non sine animi voluptate in memoriam revocabunt quae poeta tangit. *E. F. W.*

cellas locum suum tenere voluit, etiam in posterum tueatur, servet, sustentet, splendoremque eum, quo illud nunc illustratum videmus, hujusque splendoris parentes et auctores diu incolumes praestet. Inter quos quum Tu, *Doeringi*, una cum collegis Tuis principem locum teneas, felicitatem illam, qua per tot annos usus es, Tibi usque ad ultimum vitae humanae terminum perpetuet, eandemque cum collegis Tuis ita communicet, ut mala a capitibus Vestris averruncet et avertat, bona, quibus fruimini, firmet, augeat, cumulet; sic ut posteri, qui festum saeculare quartum, et deinceps alia celebrabunt, habere se arbitrentur, cur suis rectoribus solemnem votorum formulam acclament: *Melior Geislero! Felicior Doeringio!* Scribebam Gothae, die ante festum S. Thomae anno 1824.

Villa Doeringii.

Carmen Friderici Jacobsii.

Idibus Majis 1802

quo die quam Doeringius in horto sibi exstruxerat domus exaedificata est.

Naïdes, undarum dominae, quae saepe procaci
Per placidos motu ductatis brachia fontes;
Vos etenim tacitae per muta silentia noctis,
O virides, vidi ipse, Deae, cum margine stagni [1])
Solvistis crines, rumpentes pectore voces
Blandisonas, Tibi quae, Doeringi, grata soporis
Munera concilient — quamquam auribus usque profanis
Agmina ranarum clamosa sonare videntur!
Quo, Divae, vultu spectatis surgere vestrum
Ad limen Phoebi et Musarum splendida tecta?
Jam ruit, en, fumosa domus, seu dicere mavis
Antrum, summa premens humili lare numina, mystâ
Una cum sancto. Caeduntur montibus alni;
Machina saxa movet; laevantur ligna securi;
Fervet opus, crescitque domus, mirantibus ipsis
Fabris, queis placidus Trojanae conditor arcis
Sudorem imminuit. Gaudet nam Cynthius aram
Thuriferam nunc condere eum, cui temperat ipse
Plectrum Pierium. Quae jam nova carmina fundet,
Romani sermonis opus, quae Mantua dulcis

---

[1]) Vulgo *Röhrenteich* dictum.

Composuisse velit, nec Flacci Musa canora
Spreverit, aut suavis Pelignl ruris alumnus!
Quanta hîc thura dabit! pia quot sine sanguine sacra!
Quot Bacchi fundet libamina! Sponte sodales
Accurrent hilares, pia mens quos fert celebrare
Festum nunc, Vertumne, tuum; solemnia conjux
Nunc tua, Vertumni, tua nunc, o candide Liber!
O pratum, antiquo Dominorum nomine clarum [2]),
Divorum nunc sancta domus! quae festa videbis!
Hic etenim tenuem pecorum Deus inflat avenam,
Echo demulcens; Nympharum turba jocosa
Instituit thiasos, queis tu, Latonia, saepe
Misceris, longo venandi fessa labore.
Laetos saepe chori miratur Diva tumultus
Saeva Themis, diro cui surgit nomine templum [3]),
Late conspicuum, multo jam tempore adesum;
Miratur ploratque simul sua frigida tecta,
Quod cernit sine honore focos, nec sanguine muros
Tetro fumantes, ludibria vana latronum.
Surge domus, dominoque lares jam pande beatos!
Umbras da gelidas, coeli cum torridus axis
Incumbit terris; rursus cum bruma nivalis
Arva tenet, calido nido accipe! Gaudia semper
Des liquida, et nullas tenebrosas condere luces!
Adspirant Divi precibus, nemoris strepit umbra,
Et Dryades laeto promittunt murmure fausta.

---

²) *Herrenwiese.*
³) Vulgo *Patibulum* vocant.

Ernesti Friderici Wuestemanni

oratio in memoriam

Friderici Guilielmi Doeringii

habita in gymnasio Gothano

d. 11. Dec. 1837.

Quum dicendi hodie, auditores humanissimi, in tanta doctissimorum hominum frequentia mihi paterer imponi provinciam, non ignorabam sane, quam difficile ego atque arduum suscepturus essem negotium. Nam quum ipse intelligerem, quam exiguae meae essent in dicendo vires, eo periculosiorem rem me aggressurum esse sentiebam, quod de viro dicendum est, cujus quae fuerit sermonis latini elegantia inter omnes constat, quod verba facienda sunt ex eo suggestu, ex quo ipsius suavitatem oris saepissime percepistis, intra eos parietes, qui ipsius eloquentiae quondam fuerunt testes. Verum enim vero justissima est mihi dicendi causa, imo paene necessitas, ut ne subterfugisse videar pietatis officium, quae suo jure a me postulat, ut optimo homini deque hac schola meritissimo rectori in gymnasio nostro parentem. Quam ob rem si exspectationi vestrae minus satisfecero, vos rogatos esse volo, ut, quantum viribus meis defuisse intelligatis, tantum ad voluntatem meam accessisse vobis persuadeatis.

Communem toti civitati nostrae ex *Doeringii* obitu natum esse luctum et nuper monstravit magna eorum frequentia, qui, quum solemni funere efferretur, certatim convenerunt, et hodie testatur splendidus eorum consessus, qui, quum ejusdem honoribus hunc diem dicatum esse percepis-

sent, hunc locum praesentia sua condecorare voluerunt. Nec mirum. Quum plurimos enim Doeringius nactus esset patronos atque fautores, tum vix quisquam reperitur paulo cultior homo, qui in hac urbe natus sit aut in terra Gothana, quin idem illius institutione atque disciplina se usum esse grato animo profiteatur. Quid autem dicam de nobis collegis, qui quantum ei debeamus quamque pia recordatione ejus memoriam recolamus, facile est ad intelligendum? Major enim pars nostrum et ipsi ex ejus disciplina prodiimus; sex ex nostro collegio in his ipsis aedibus una cum eo habitavimus atque domesticarum ejus virtutum intra haec ipsa moenia testes fuimus atque spectatores; omnes autem multis nominibus ei devincti sumus. Ac tu quidem, *Kriesi*, quum per undequinquaginta annos in hac urbe commoreris, ex quo tempore doctoris munere in hoc gymnasio cum summa eorum qui id frequentaverunt et adhuc frequentant utilitate functus es, nonne tu Doeringium fidum in rebus tam secundis quam adversis amicum, nonne in munere obeundo collegam optimum habuisti? Tu igitur tuo jure eum colebas ac diligebas; at in quanto te ipse habuerit honore quantumque tuae auctoritati tribuerit, nos oculis nostris saepe vidimus. Quid tibi fuerit Doeringius, mi *Schulzi*, non opus est ut jam commemorem; ipse nuper, quum ei parentares, diserto ore exposuisti. Nam quum parentibus orbatus esses, nec haberes ad quem confugeres, en Doeringius tibi alter quasi pater exstitit [1]) ducemque se tibi praebuit, cujus auspiciis et adolevisti et vir factus es; idem singularem omni tempore in te posuit fiduciam, cui ut par erat nunquam non respondisti. Quid de te dicam, mi *Rosti*? quem amicum integerrimum mihi contigisse laetor. Tu certe peculiares quasdam ac gravissimas quidem luctus habes causas. Tu enim non prae-

[1]) *Plin.* Epp. II. 1. 9. in simili re dixit: *patris affectum mihi exhibuit. Sueton.* Tit. 8. *parentis affectum praestitit.*

ceptorem tantum doles e medio sublatum, non rectorem scholae ereptum, sed desideras optimum socerum, sed quaeris domesticae felicitatis tuae auctorem; amantissima tua conjux moeret patrem, cui ipsa in deliciis fuerat, funesto obitu exstinctum; filii tui filiaeque adeptum sibi queruntur avum carissimum; ad communem igitur nostrum dolorem privatus tuus luctus accedit. De me ipso quidni liceat verba facere gratam mentem testantia? Ego igitur ex quo in Doeringii disciplinam traditus sum — sunt autem anni abhinc triginta — plurima ejus eximiae in me benevolentiae atque humanitatis expertus sum documenta. Latine scribendi facultatem si quam habeo, Doeringii institutioni me debere lubens fateor. Posteaquam autem huic doctorum hominum collegio adscriptus sum, idem utilissimorum mihi semper consiliorum fuit suasor ac sua me plurimum auctoritate adjuvit.

Sed quum de iis loquor, qui societate muneris cum Doeringio aliquando conjuncti fuerunt, unus adest in hoc nostro consessu, quem, si meritorum in scholam magnitudinem, doctrinae copiam, famae celebritatem spectamus, primo loco ponendum fuisse uno ore omnes fatemur, te dico, *Friderice Jacobs*, quem esse civem hujus urbis gratulamur, quemque non nostrae civitatis, sed totius Germaniae summum decus cernimus. Tu igitur, Fr. Jacobs, ex iis, qui hodie adsunt, et muneris societate et amicitiae vinculis diutissime cum Doeringio conjunctus eras. Tu enim unus superstes es — atque utinam te nobis numen benignum diu conservare velit — unus, inquam, tu superstes es ex iis, qui, quum Doeringius in nostra urbe fortunae suae domicilium poneret, praeceptorum munere fungebantur. Quinquaginta inde et amplius exacti sunt anni, sat magnum mortalibus aevum [2]). Ac tu per totum hoc tempus, nisi

[2]) Consulto hanc vocem posui, ut infra *indefessus*, *defunctus*, alia, licet non ignorem haec aliis minus probari.

quod aliquamdiu exteri regis desiderium tui tuam nobis invidit praesentiam, Doeringium habuisti collegam, amicum, sodalem, studiorum ac laborum aemulum; gymnasii autem inhaerentem pectori tuo amorem nunquam deposuisti [3]). Quam ob rem tu quoque in magnam communis nostri doloris societatem venis et una nobiscum conquereris triste illud fatum, quod Doeringium nobis eripuit.

Quae quum ita sint, nos omnes justas dolendi habemus causas. Sed quum reputamus Doeringium non ex medio florentissimae aetatis cursu esse sublatum, immo usque ad eum produxisse vitam terminum, ad quem pauci mortalium pervenire solent [4]), ac novissimis diebus cum ingravescentis senectutis incommodis valde conflictatum esse, bene actum esse cum ipso fateamini necesse est, qui hujus vitae non jucunditatibus, sed miseriis ereptus sit. Non est igitur quod muliebribus lamentationibus indulgeamus. Verum ita demum supremum honorem mortuo recte habebimus, si, quae ille nobis praestiterit bona quorumque beneficiorum nobis exstiterit auctor, pio gratoque recoluerimus animo. Sed quae ipsius in nos exstiterint merita, recte nobis videmur intelligere posse, ubi omnem ejus vitae rationem perspectam habuerimus [5]). Operae pretium igitur nobis facturi esse videmur, si primum quae de ipsius vita

[3]) *Fridericum Jacobsium* grati profitemur ita cum gymnasii praeceptoribus hodie quoque esse conjunctum, ut vinculum illud quod ex muneris societate ortum erat integrum adhuc servatum esse videatur. Quanto autem hujus scholae amore trahatur, saepe in libris suis declaravit. Vid. Jacobs. *Vermischte Schriften* Vol. I. p. 87 sqq. Ejusd. Ep. ad Doer. senem felicissimum init.

[4]) *Sen.* Epist. 93. 6. amplissimum vitae spatium appellat. Idem Epist. 72. 3. scripsit: ad longissimos humani aevi terminos vitam protendere.

[5]) Comparari jam potest vita Doeringii a *Jacobsio* scripta in Jen. Allg. Litt. Zeit., Intelligenzbl. 3. 4. anni 1838. Peculiarem *Doeringii* et *Ramshornii* memoriae *Eichstadius* consecravit libellum, de quo paulo post dicemus.

cognita habeamus in medium proferamus, deinde ea subjungamus, quibus aut litteras, quibus deditus erat, aut scholam, cui praefectus erat, juvisse sit putandus.

Fridericus Guilielmus Doering natus fuit Elsterbergae apud Variscos 9. Febr. 1756, patre non ignobili quidem — primarii enim sacrorum antistitis munere in ea urbe fungebatur — sed in tenui tamen re familiari constituto. Puerulus admodum iisdem praeceptoribus atque eadem institutione usus est cum *Boettigero*, cujus pater diaconi muneri praefuit in eadem urbe. Et haec fuerunt intimae illius amicitiae primordia, quam a teneris conceptam uterque servavit ad ultimum vitae spiritum, quamque Doeringius non in minima felicitatis suae parte posuit [6]). Quum paulum aliquid ultra primas litteras progressi essent, institutioni *Bamleri* sunt traditi, qui Ernesti disciplina usus cantoris munus obtinebat apud Elsterbergenses. Pueris in optima spe repositis quum mox non amplius satisfaceret Bamlerus, ambo Portam sunt delati (11. Maii 1772), cui tum praeerat Grabenerus. Ac mirabile dictu est, quantos uterque quam brevi fecerit in bonarum litterarum studiis progressus; etenim ut praeclaris ingenii dotibus erant instructi, ita omnes etiam industriae nervos intendebant. Ac tertium studiorum suorum aemulum invenerunt *Mitscherlichium*, quem praeceptorem quondam meum non sine intimo pietatis sensu nomino. Hi igitur juvenes omni virium contentione ad unam eandemque metam properare coeperunt; unum eundemque finem propositum sibi habebant, ut

---

[6]) De hac intima *Doeringii* cum *Boettigero* familiaritate, de hujus amicitiae primordiis, progressu nec unquam labefactata stabilitate nuper plura scripsit Boettigeri filius, qui doctrinae laude floret apud Erlangenses (in *Zeitgenossen*, Lips. Febr. 1837); cujus libellus non solo pietatis nomine commendatur, sed dictionis quoque elegantia ita probatur, ut uberioris vitae, quam se editurum esse promisit, maximum apud omnes patris amicos moverit desiderium.

ex doctrinae opibus collectis quam plurimam sibi conciliarent laudem. Acerrimum autem illud studium quantum iis successerit, ex doctis hominibus hodie nemo est qui nesciat. Sed ut de uno Doeringio jam dicamus, raram is in schola Portensi doctrinae copiam sibi paravit, cujus testis est Catulli epithalamium animadversionibus ab eo Portam relicturo illustratum. Pauci profecto reperientur, qui Doeringio similes, quum ex schola discessuri sint in academiam, paria factorum in litteris profectuum documenta possint edere. Ipse Doeringius quantum Portae deberet, nullo tempore non gratus agnoscebat. Quotiescunque almae matris mentionem faciebat [7]), toties addebat verba quaedam bene ominata gratumque animum declarantia, velut: Porta cui deus faveat, vel: quam non sine intimo pietatis sensu nomino. Prae aliis beneficiorum memoriam servavit *Barthio*, Propertii editori, qui post Grabenerum scholae Portensis moderator factus est [8]).

Anno superioris saeculi septuagesimo octavo una cum Boettigero in academiam Lipsiensem migravit. Latior ibi Doeringio patescere coepit campus, ubi quae antea sparsisset semina laetius provenirent ac pullularent. Ac fuit academia Lipsiensis, ut semper ferax ingeniorum, sic illo tempore magna praeclarorum in quovis litterarum genere doctorum abundantia insignis. Licet splendidissimum olim Lipsiae sidus, *Ernestium* dico, ad occasum jam pronum necdum pristino radians fulgore a se conspectum quereretur, alios tamen invenit non minus idoneos atque promptos studiorum suorum moderatores, quorum ductu in laudabili, quam ingressus erat, via strenue pergeret. *Reizium* saepe

---

[7]) Cf. Praefat. *Chrestom. Ciceron.*, satirarum *Horat.*, all.

[8]) Barthius quanto studio Doeringium prosecutus sit patet ex carmine amoris sensus plenissimo, quod ab illo ad Doeringium, quum is Numburgensi scholae praefectus esset, missum in *Eclogis recentiorum carminum Latinorum* edidit *Mitscherlichius* p. 129.

nobis praedicabat subtilissimum totius antiquitatis investigatorem, *Morum* elegantissimum veterum scriptorum enarratorem atque interpretem, *Platnerum* acutissimum in disputando hominem. Magna mox Doeringii apud Lipsienses fama. Non mirandum est igitur, quod, studiis academicis vix absolutis, anno 1782 lyceo Gubenensi rector praefectus est. Sed Gubenae parum sibi placuit. Fuit in ea urbe conrector quidam — nomen non teneo nec, quod indignus videbatur memoria, curiosius quaesivi — qui quum aetate esset provectior, juniorem eundemque doctiorem rectorem sibi non ferendum putavit. Is igitur plurima Doeringio facessivit negotia ac tandem in causa fuit, ut ille, quum Numburgenses eum scholae suae rectorem expetissent, cupide Numburgum fortunae suae sedem transferret. Discedens autem Gubena callide rem instituit ita, ut ipsius loco Boettigero rectoris provincia demandaretur; qua quidem personarum mutatione facta conrectoris istius machinas melius processisse vix verisimile est. Numburgi biennium tantum versatus est. Nam post funestum Strothii obitum quum nemo haberetur dignior, qui tanto viro succederet, ab Ernesto secundo, Gothanorum duce, singulari bonarum litterarum et fautore et aestimatore, tricenarius Gotham est vocatus, ubi rectoris munus 23. Oct. 1786 auspicatus est.

Gothae alteram sibi paravit patriam Doeringius. Nam plus quam quinquaginta annos in hac urbe vixit, et, quod vere de eo praedicare licet, felicissime vixit [9]). Ut primum de domesticae ejus vitae vicissitudinibus potiora memorem,

---

[9]) Haec Doeringii felicitas imprimis ex quo a *Jacobsio* (Epist. ad Doeringium senem felicissimum. Gothae 1824) non minus vividis, quam veris coloribus depicta est, et ab ipso agnoscebatur Doeringio et nobis saepe in ore erat. Melius non habemus omen, quo rectorem nostrum excipiamus, nisi verba illa, quae in extrema epistola posuit Jacobsius: *Sis melior Geislero! felicior Doeringio!*

in secundas Gothae nuptias transiit [10]), quibus praestantissimam fidissimamque sibi junxit conjugem, quae nunc superstes maritum pie deflet. Ex hoc matrimonio unum suscepit filium ac tres filias. Filium optimae spei juvenem non ita multo post quam Gottinga, ubi gratus mihi sodalis fuit, in patriam redux factus erat, amisit (1819). Maximam natu filiam *Regelius*, dilectus mihi ante praeceptor, post collega, duxit, qua defuncta novum idem cum altera iniit matrimonium. Maximam natu filiam caram *Rostii* nostri conjugem esse scitis. Ex his filiabus Doeringius nepotes atque neptes, ex Regelia etiam pronepotes habuit.

Contigit Doeringio ut festos dies videret laetissimos. Velut anno hujus saeculi vicesimo quarto acta sunt gymnasii nostri saecularia tertia, ex quorum splendore nonnihil fulgoris ad scholae rectorem translatum esse facile intelligitur. Porro ipse magisterii sui semisaecularia — pace vestra hac voce utar; Doeringius ipse quinta decennalia dixit — celebravit anno 1831, quibus altera successerunt muneris anno 1832. Recenti adhuc memoria tenetis, quantum ejus patroni atque amici, quos plurimos habebat, inter se certaverint, ut summa esset hujus diei celebritas. Dux celsissimus ipse, quum, quae Doeringii essent merita, cognitum haberet, honorificis eum litteris salutavit atque, quod a rege Saxoniae potentissimo impetraverat, ordinis equestris, qui civium meritis apud Saxones dicatus est, insigni ornari voluit. Quid? quod princeps clementissimus, quum Doeringii vires labi coepissent, ita consuluit ejus quieti et simul prospexit honori, ut muneris scholastici onus ei remitteret ac consiliis tantum ejus in rebus scholasticis moderandis uti vellet. Quod quamquam honorificentissimum sibi esse sentiebat, id tamen unum, ut sollicito scholam

[10]) In has nuptias Doeringii cum *Augusta Ritteria* junctas elegantissimum exstat *Fr. Jacobsii* carmen graeca lingua compositum, a *Mitscherlichio* evulgatum in *Eclogis recentiorum carminum* p. 266.

amplectebatur amore, verebatur, ne nos per aliquod saltem tempus firma rectoris manu essemus destituti. Sed quod difficile videbatur, dignum se reperit vicarium. Namque — o rarum nostris diebus singularis in praeceptorem pietatis exemplum — inventus est unus, qui quum Doeringio, cujus disciplina usus fuerat, plurimum se debere intelligeret, ut justam ei referret gratiam, gravis illius muneris molestias sibi imponi pateretur. Atque omnes muneris suscepti partes ita explevit, ut votorum nostrorum summae plane satisfactum esse videatur [11]). Sed verbum non addam. Ut ipsius enim viri nobis plurimum colendi modestia omnem cujusvis significationem commendationis aspernetur ac respuat, ita nec me deceat praesentis amici aures meis quantumvis justis laudibus onerare [12]).

---

[11]) *Ciceronis* est de orat. I. 47. 205. omnem desiderii nostri exspectationem explevit.

[12]) Quod candidissimi hominis nomen in oratione non apposui et alias laudes tacendas censui, et ipsius fecit modestia et mea cum eodem conjunctio, diuturna illa et longo usu probata. Sed nihil impedit, quominus hoc saltem loco memorem *Jacobium* nostrum, hac quoque in re discipulis nostris insigne quod sequantur exemplum, gratum omni tempore Doeringio praestitisse animum. Quod enim primum, sed primarium idem collectae eruditionis specimen editit (*lexicon* dico *rerum mythologicarum* ab ipso concinnatum), et veteri praeceptori suo et patri dilectissimo sacrum esse voluit. Neque id silentio praetereundum esse arbitror, rara animorum concordia per integrum quadriennium rectorem suffectum cum exauctorato vixisse, ita ut hic illum in oculis gestaverit, nec ullo tempore quod a munere remotus fuerit aegre tulerit. Caeterum juvat gravissimum ac locupletissimum testem sententiae meae adhibere. *Eichstadii* enim haec sunt verba: "Contigit Doeringio praeterea quiddam singulare, quod, ut mitius de aevo nostro sentiatur, cui saepe exprobratus est ingratus discipulorum erga praeceptores animus, posteritatis memoriae imprimis commendandum videtur. Sponte enim et generose discipulus quondam Doeringii, gravissimis nunc muneribus admotus, *Eduardus Adolphus Jacobi*, dum ille

Ad Doeringium ut redeam, diutius ille inter nos commoraturus esse videbatur. Quamvis enim in fingendo corpore minus fautricem expertus esset naturam, firma tamen et raro tantum interrupta gaudebat valetudine. Nam ut taceam florentiore vitae aetate interdum eum podagrae doloribus cruciatum fuisse, semel tantum hemicranio laboravit. Sed vis morbi, quamvis vitam in discrimen aliquamdiu adducere videretur, cessit medicae aquarum Mattiacarum salubritati, quas anno 1825, deinde sequenti anno, tertium 1828 adiit. Nulla autem medici quo utebatur experientissimi arte provectioris senectutis incommoda potuerunt averti. Nam memoria aliquando labi coeperat imprimis earum rerum, quae recentiore tempore actae erant, quamvis eadem tenax esset rerum ipso puero gestarum. Nuperrime etiam caligo quaedam ejus menti offusa est, quae, licet intervallorum patiens esset, non omnis tamen discuti potuit. Sed, o felicem senem! quae ipsius animo offerebantur somnia ac fallacia rerum simulacra, repraesentabant ea plerumque et pueritiae sodales et patrii vici rura et paternae domus consuetudinem et veterum amicorum fami-

honestissimo otio fruebatur, gymnasii suscepit gubernaculum, cui gerendo par erat in paucis, et ne quid commodorum atque emolumentorum dilecto magistro detraheretur, per integrum quadriennium gratuita, sed maxime laudabili opera administravit." — Sunt haec ex Eichstadii libello petita *Doeringii* et *Ramshornii* memoriae dicato, qui ut ab *Eichstadio* scriptus tam sermonis elegantia, quam rerum et gravitate et veritate mirifice commendatur. Ac laetamur quidem maximam esse Eichstadii cum judicio nostro consensionem, quae tanta est, ut, nisi eodem tempore oratio mea esset conscripta, facile quis crederet me illius scrinia compilasse. Ad nos quidem pervenit Eichstadii libellus quo tempore plagulae meae orationis de prelo madidae mihi tradebantur corrigendae; qua opportunitate ita usi sumus, ut, quod lectoribus nostris jucundissimum fore satis credimus, potiora quaedam ex illa Doeringii commendatione cum iis in subjectis annotationibus communicemus.

liaritates. Ipso mortis die in patria urbe sibi versari videbatur idque se agere dicebat, ut ex suscepto itinere domum suam reverteretur. Ac rediit sane ad parentes suos et amicos, sed nos destituit. Nam mane diei 27. Novembris per oecum aedium suarum transiens quum etiam gradum acceleraret [13]) — corporis enim vires integrae manserant — subito cerebri nervorum ictu est percussus, ut statim collapsus corruerit, vis autem vitalis omnino sit exstincta. Sanguinis enim missione continuo facta, anima quidem retineri potuit aliquantisper, mox autem evolavit illa, fida conjuge unoque collegarum qui adstabant vix sentientibus, ad superas illas sedes, ubi vera nunc illius quaerenda est patria.

Haec est, auditores humanissimi, Doeringii nostri vita. Non casuum varietate insignis est, sed servat quandam quasi aequabilitatem, quae beata plurimorum solet esse sors doctorum hominum, qui quum semel stabilem in aliquo loco collocaverunt sedem, non honorum quidem splendore invidorum oculos praestringunt, neque tamen iis fluctibus jactantur, quibus non raro objiciuntur altissima quaeque appetentes. Beatam dixi hanc sortem, et beata videbatur Doeringio quoque, qui nihil ultra cupiebat. Omnino haec praecipua erat ejus virtus, ut sorte sua contentus viveret et in omni vitae conditione facile acquiesceret; quae quidem sapientia Horatii editorem unice decebat. Ad hujus poetae exemplum, si quid jucundi accidisset, id aequo ferebat animo; nec in re adversa constitutus de animi statu se dejici patiebatur. Quemcunque dierum sors obtulerat, eum lucro apponebat, imprimis ex quo tempore in vitae discrimen aliquando vocatus praesens periculum effugerat. Res ita se habuit. Ante hos XL annos quum Waltershusa, in qua urbe Doeringii socer habitabat, Go-

---

[13]) Sic *Plin.* nat. hist. VII. 53. 54. 181. quosdam tradit adeo validos mortuos, ut *de progrediendo cogitarent.*

tham rediturus esset, «insani torrentis fluctibus paene haustus, sed divini numinis providentia per bonos pagi vicini incolas servatus est. Quae quidem σωτήρια quotannis redeuntia laetius et hilarius quam ipsa natalicia cum amicis celebrare et instaurare solebat.» [14]) Lubenter utique hilaritati se dabat nec modica spernebat convivia. Sed ut in omni vita auream illam mediocritatem sequebatur, sic cibi quoque et vini parcus erat nec unquam in eorum usu excedebat modum. Idem minimi erat somni; nam quum nona fere hora cubitum iret, tertia aut quarta hora matutina nondum audita surgebat, quem vitae tenorem tam anxie servabat, ut amicorum circulos ad vesperam congredientium sedulo fugeret. Aestatis tempore in horto suburbano degebat, ubi quae voluptates limpidissimae essent ac parvo parabiles, eae ipsi erant jucundissimae. Juxta aedes non nimis amplas in quibus habitabat duo ibi visuntur alvearia; in horum propinquitate lubentissime sedem capiebat, sedulae apium diligentiae indefessus spectator. Praeter apes [15]) canoris avibus multum delectabatur et quam mansuetas verbi caussa luscinias reddidisset, quae dominum suum agnoscerent et ex ipsius ore cibum pete-

---

[14]) In oratione mea posui ipsa Doeringii verba (Chrestom. Cic. p. 168). Caeterum nos per jocum hunc diem dicebamus *aquaticum*.

[15]) Alteri alveario inscriptus est versus Virgilianus (Georg IV. 169.):

Fervet opus redolentque thymo fragrantia mella.

Apium opere ita delectabatur, ut, quod sane aptissimum, gymnasii symbolum inde peteret; in forma enim qua signatoria utebatur expressum est vasculum circum quod apes circumvolitant. — Plurimum voluptatis capiebat quum nepotibus suis aut aliis parvulis, quorum amantissimus erat, mella daret; addebat etiam nuces aliaque id genus bellaria, quibus puerulos ad se allieiebat. — Caeterum idem apium amor in Doeringii amico ac sodali *Mitscherlichio; Boettigerus* a talibus alienissimus.

rent, ambitiosius narrabat. Quum annis nondum gravis esset, etiam equum alebat; artem equitandi a magistro non edoctus firmiter tamen insidebat equo.[16] Denique venandi studio erat deditus, quantum docto homini id convenire videretur[17].

Sed his aliisque levioris momenti rebus enarrandis ne vestra patientia, auditores humanissimi, abuti videar, paucis dictum esto: Doeringius amabilis erat homo, qui, licet interdum humanae imbecillitati obnoxius esset, plurimorum tamen favorem ac benevolentiam sibi pararet partamque tueretur.

Ac talis quidem Doeringius inter suos; majorem vidit eum haec schola. Quo latiorem autem virtutum suarum exercendarum in gymnasio habuit campum, eo uberiorem haec res sibi postulat tractationem. Sed si de Doeringii in scholam meritis recte volemus judicare, eum et praeceptoris et rectoris munus in se conjunxisse reputare debemus. Quamobrem hunc in dicendo quoque servabimus ordinem, ut primum agamus de docendi quam praestitit

---

[16]) Ipse ego, quum in iisdem cum Doeringio per quinque annos habitarem aedibus, equum alebam ac saepe cum eo animi caussa equo evehebar. Petebamus vicinos vicos, aliquoties etiam saltuarii cujusdam domum, in amoenissima saltus Thuringici regione sitam, ubi admodum hospitaliter excipiebamur. Scilicet hospitis filia aliquando Doeringii filio desponsata erat; deplorabat eadem mox praematuram optimi juvenis mortem. Ubi sub divo erat Doeringius, aut in horto, aut in saltu, aut in aperto campo, totum se dabat laetitiae, qui vel ultro hilaritatem sequebatur. Jucundissimos tum cum ipso memini me serere sermones.

[17]) Quam ego jocandi rationem in orationem inserueram, sed jam omittendam ratus sum, sectatus est ipse Doeringius, quod nunc ex *Eichstadii* libello video, in disticho ad hunc perscripto:

Dum venor lepores, sapientius ecce lepores
Eichstadius docto fundere ab ore solet.

arte et peritia, deinde subjungamus ea, quae de ejusdem scholam regendi dexteritate videantur afferenda.

Ac primum quidem in bono praeceptore duae imprimis, nisi fallor, cernuntur virtutes: altera est eruditionis laus, ars docendi altera. Juvenibus enim, qui praeceptorem suum colant ab eoque plurimum discant, ante omnia persuasum esse debet se ab magistro suo multa discere posse. De Doeringii autem doctrina quid plura dicam? Res patet. Singularis ejus atque exquisitae eruditionis testes sunt plurimi libri, [18]) qui orbis litterarii [19]) plausum

[18]) Permultos Doeringium libros edidisse non injuria dixi. Sunt autem fere hi:

1) Scriptiones scholasticae, orationes in gymnasio habitae etc. Plura scripsit programmata, quae hodie quoque cupide expetuntur, velut *de diis alatis,* quo munus Rectoris Gothani auspicatus est (1786), *de coloribus veterum* (1788), alia.

2) Libri in usum scholarum editi: *Eclogae veterum poetarum* (Gothae, 1792). *Chrestomathia Horatiana et Virgilii Bucol.* Altonae 1835. *Schellers Lateinische Grammatik,* verbessert von D. (Lipsiae, edit. 3. 1813), in qua editione adornanda Regelii ut plurimum opera usus esse fertur. *Lateinisches Elementarbuch,* Jenae. Tom. I. 1809. Tom. II. 1809. (editio sexta. 1837.) quem librum sociata cum Jacobsio opera concinnavit. Ejus pars est *Chrestomathia Ciceroniana,* Jenae 1827. — *Anleitung zum Uebersetzen aus dem Deutschen ins Latein.* Tom. I. 1800. Tom. II. 1809. Novissima editio est undecima 1835. In hoc libro utilissimo componendo socium habuit *Schulzium* nostrum. Uterque autem hunc laborem ita partitus est, ut Schulzius materiam aut ipse inveniret aut colligeret, Doeringius autem, fundamentis ita jactis, aedes inchoatas exaedificaret ac Latio quasi vindicaret. — Sed quum taedeat solos librorum indices describere, rem per se jejunam aliquo sale condire juvat. Referre mihi jam liceat, quae Doeringius plus semel mihi narravit, quantus sibi risus aliquando excussus sit hujus libri caussa. Nimirum quum in propinquo Dresdae vico amicum visurus esset, intrans in aedes

ita tulerunt, ut cultiores Europae terras auctoris fama repleverint. Loquuntur Catullus, Livius, Horatius. Et in Venusini quidem poetae editione paranda eam explanatoris artem praestitit, ut fastidioso etiam elegantiorum hominum palato interpretationem suam probaverit. Quam-

neminem reperit, nisi puerum libris intentum. Quum varia ex eo quaesivisset, sed ex sedulo non multum responsi tulisset, Quid agis, inquit; quem librum in manibns habes? — Doeringium, respondit ille. — Quem tu dicis Doeringium? — Ah, infestum istud ingenium, ad cruciandos pueros natum! — Num tu novisti hominem? — Non novi. — Quid ais? aspice, hic est. — Tum puer attonitus stare, patentibus oculis Doeringium intueri, nescio quid verborum se excusaturus proferre. At Doeringius ridere exque pueri perturbatione non parum voluptatis capere. Ad haec intrabat amicus. — Sed nos redeamus ad libros.

3) Veterum scriptorum editiones paravit has: *Catulli* epithalamium Numburgi edidit perpetua adnotatione illustratum a se alumno Portensi anno 1779. Decennio post *Catulli* carmina, Lipsiae sumptibns Hilscheri, duobus tomis. Repetita haec est editio Londini 1830. Ejusdem Catulli minorem editionem paravit 1834. Altonae prostat apud Hammerichium. — *Horatii Opera.* Lipsiae, Hahn. Tom. I. 1803. edit. III. anno 1825. edit. IV. hoc ipso tempore quo haec scribo. Tom. II. 1824. edit. III. anno 1836. Repetit. Glasguae anno 1826. Minorem in scholarum usum editionem Horatii evulgavit Lipsiae, sumptibus Hahn. 1830. — *Livii Opera* edere coeperat Strothius. In hac quoque provincia Strothio successit Doeringius. Absolvit editionem intra annos 1796—1819. VII voluminibus; ex quibus aliquot voll. ter repetita sunt. — *Ciceronis orationes selectae.* Brunsvicae, 1796. 8., cum animadversionibus, quae separatim prodierunt anno 1797. Partem efficiunt encyclopaediae (quam vulgo dixerunt) a Campio curatae.

4) Carmina latina. Nondum omnia edita esse supra significavi. Omnia produnt poetam latinum.

[19]) [Ne credas me ignarum esse eorum quae de orbe litterato dixit Frotscher. ad Muret. Vol. I. p. 212., scito me nunc consulto ita scripsisse.]

obrem non mirandum est Doeringianam editionem Horatii a plurimis lectoribus tam cupide expetitam fuisse, ut non solum ab justo operis redemptore in Germania quatuor vicibus evulgata sit, sed ut Glasguae quoque nitidissimo ornata habitu sit repetita. Idem in Catullo expertus est, quem Londinenses typis suis iterum describi jusserunt.

Quid illud sit, quod Doeringii libri tanto eruditorum favore excepti sint, noli quaerere. Scilicet omnia, quae latine scripsit, mira quadam sermonis elegantia ac vix imitabili simplicitate lectores alliciunt tenentque. Ac tanta haec est in Doeringio ars, ut multi ne artem quidem esse sentiant, immo ut facili negotio quae facilitate sua placent se ipsi praestare posse credant. Verum qui ita statuunt, falluntur magnopere. Haec est enim, mihi crede, summa ars, hoc accuratissimae latinae linguae cognitionis certissimum documentum, ubi eo perveneris, ut quae scribas lectores quasi manibus prehendant nec ipsi tirones aliqua difficultate impediti teneantur. Proficiscitur enim haec legentis commoditas ex summa scribentis perspicacitate; originem habet illa dictionis commendatio a rectissimo linguae usu. Suo quaeque vox loco est collocanda; sua ac propria quidem significatione quodque ponendum vocabulum est; quicquid sensorum exprimere vis dicendo, ipsa sermonis proprietas est spectanda. Haec non adeo levia sunt atque multis videntur esse. Longum usum magnamque exercitationem postulant, etiam nativam quandam indolem, quae arte accipi nequit. I modo, fac periculum; videbis quo successu [20].

---

[20]) Non alienum videtur ab hoc loco commemorare eadem simplicitatis laude *Caesaris* scripta veteribus commendata fuisse, qui, quod unus omnium optimus arbiter judicavit (*Cicero* Brut. 75 extr.), *sanos homines a scribendo deterruit*. Quadrant in Doeringium quae idem *Cicero* scripsit de subtilitate (Orat. 23, 76): *imitabilis illa quidem videtur existimanti, sed nihil est experienti minus*. — *Eichstadius*, in-

Parem elegantiam praestitit Doeringius in carminibus componendis, quae non omnia sunt in vulgus edita. Sed quae in lucem prodierunt, justam modo nos ei tribuisse laudem satis superque probant ac reliquorum etiam edendorum desiderium movent. Et natus videbatur ad poesin latinam. Nam tanta in ipso fuit versuum pangendorum facultas, ut eos paene funderet. Vos, collegae, meministis saepe inter coenam, quum suavibus nos dedissemus sermonibus, subito eum surgere atque poculo arrepto unum alterumve distichon ex tempore factum recitare [21]). Ipse aliquando quum forte ambulans in hortis urbem nostram ambientibus ei obviam factus essem, simulatque eum adspexi, ex longinquo: Quid agis? quo tendis? ei acclamavi. Ad quae ille paullulum subsistens, vix aliqua mora interjecta, ad me conversus, ita:

Ibimus, ut, quocunque feret via, sponte sequamur.

Tum ego, Profecto, inquam, cadit in Te Ovidianum [22]) illud:

---

telligentissimus profecto harum rerum aestimator ac judex, in Doeringii sermone latino praeter simplicem munditiam et nativam venustatem castitatem laudat atque elegantiam, perspicuitati adjunctam. Idem communem fuisse dicit Doeringio cum *Ruhnkenio* agendi scribendique facilitatem.

[21]) Sic Doeringius, quae sunt *Plinii* verba Epp. IV. 14., versibus inter coenam oblectabat otium temporis. Hanc consuetudinem servavit ita ut etiam quum morbo impeditus a circulis nostris abesset versus suos mitteret. Quaedam in collegas ex tempore dicta jam cum lectoribus supra communicavimus. Aliud de me addam. Aliquando ad me venit Doeringius ad coenam me invitaturus. Sed neque ego eram domi, neque alius quisquam aderat, cui id mandare posset. Quid igitur ille? Cretae fragmento forte reperto haec verba illevit januae:

Ad coenam venias frugalem: en! ipse vocator.

Quod opus non erat, versui nomen suum subscripsit.

[22]) Trist. IV. 10. 24.

Sponte sua carmen numeros veniebat ad aptos,
Et, quod tentabam dicere, versus erat.

At ille, Noli, inquit, his meis lusibus tantum tribuere; sed quicquid id est, debeo Portae.

Verum satis dictum est de Doeringii eruditione doctrinaeque copia, quae quam digna sit omni laude, a nullo, ne ab malevolis quidem hominibus in dubitationem potuit vocari. Age vero, videamus, an alteri quoque boni doctoris laudi satisfecerit, eam dico, quae ipsius institutionis arte continetur. Quid verbis opus est? An nescis plurimos ex Doeringii disciplina prodisse, qui vel ipsi ex latine scribendi facultate non vulgarem sibi laudem paraverint? Nomina quaeris? En *Heinrichium* et *Augustium* [23]), utrumque nunc Bonnensem, *Astium*, Monacensem, *Wunderlichium* et *Passovium* [24]), qui in ipsis jam cum Doeringio piorum sedibus habitant, *Haagium*, Lunaeburgensem, *Kühnerum*, affinem meum, alios bene multos [25])

[23]) Quem auctore Doeringio imbiberat latinae Musae amorem *Augustius* nunc quoque servat. Hoc ipso anno (1837) ducibus nostris serenissimis, Bonnae studiorum causa degentibus, civitatem academicam eleganti carmine latino idem gratulatus est Augustius.

[24]) *Passovius* aliquamdiu simultatem habuisse videtur cum Doeringio. *Cygneam formam* contra jus fasque correptam ac propterea acerbe notatam, quis nescit? Vide Passov. ad Musae. p. 212. Sed utrumque post in gratiam redisse patet ex eleganti carmine, quod Passovius eorum memor, quae gymnasio nostro deberet, nobis misit, quum scholae saecularia tertia celebraremus.

[25]) Ne vanus jactator esse videar ex *aliis bene multis* horum nomina jam apponam. Sunt *Duebnerus*, qui Parisiis versasatur, *Gerlachius*, Basileensis, *Huelsemannus*, olim Osterodensis, *Jacobius*, Portensis, *Regelius*, Doeringii nepos, Hildeshemiae commorans, *Reinhardius*, Hildpertohusae, *Schiekkius*, Rintelensis, *Schmidtius*, Erfortensis, *Stieglitzius*, Monacensis, *Umbreitius*, Heidelbergensis, *Wertherus*, Lemgoviensis, *Wissius*, Rinteliensis.

quorum nomina taceo, ne tibi ambitiosius quaesivisse videar. Sed actum tibi egisse videar, si plura de hac re faciam verba. Id potius te doceri velle arbitror, ut exponam, quam in scholis suis habendis rationem ac viam ingressus sit Doeringius. Et hoc quidem jure quodam a me postulari posse intelligo, quippe qui per multos annos ejus institutione usus sim. De prompta igitur praeceptoris mei, etiam post cineres colendi, doctrinae copia et facultate haec accipe.

Quae primaria doctoris laus est, ut suae doctrinae amorem juvenibus instillet quasi, hanc igitur artem Doeringius optime callebat. Vos, auditores humanissimi, quotquot adestis grati venerabilis praeceptoris nostri discipuli, vos antestor; vestro omnium testimonio efficietur, ut ne verbosior esse debeam. Nonne cupide exspectabamus ejus scholas? nonne a docentis ore pendebamus? non voce ejus aures nostras delinitas sentiebamus? non in ipso Latio habitare nobis videbamur, quum ipsum loquentem, dictantem audiebamus? Sed recenti admodum memoria haec tenetis. Mittam ac potius in caussas rei inquiram. Quid est igitur illud, quod ejus auditores tam attentos, ipsius scholarum tam cupidos fecerit?

Praeter alia multa, quae singula commemorare nolo, maximum in ipso cernere poteras docendi studium atque ardorem. Summa cum animi alacritate haec auditoria intrare solebat; hilaritatis significationem ipso vultu suo prodebat. Perspicue omnia, quae docebat, nobis tradebat, ut, qui illum non intelligerent, de eorum captu paene desperandum esset. Scriptoribus explicandis quum operam dabat, eam sequebatur rationem, quam non male statariam vocant. Et recte quidem. Illa enim scriptorum explicandi ratio, quae a currendo, quidni a saliendo? nomen habet, plerumque ejus in litterarum studio levitatis mater est, quae a quovis juvene litteris dedito procul abesse debet. Quod si quid minus probandum videatur, id for-

tasse est, quod haec interpretatio aliquando paulo lentius processerit. — Crebrae eorum, quae legissemus, repetitioni ita favebat, ut eam aut ipse instituerét aut saltem nobis studiose commendaret. Quum pulchriorem aliquem locum ex Ciceronis orationibus explicaverat, eum ediscere jubebamur. — In scriptionibus emendandis hanc servabat consuetudinem, ut singulas quasdam a nobis elaboratas recenseret; quo facto quae ipse meditatus erat — memoria autem qua utebatur satis firma ea tenebat — nobis calamo ex ejus ore excipientibus dictabat. Et hoc quidem ejus institutum admodum laudabile videtur fuisse, nec prosperrimo caruit successu. Etenim quae a nobis manca facta erant et imperfecta, ea comparare licebat cum magistri exemplo, in quo nihil erat quod melius exprimi dicive posse videretur, ut non sentientes imbiberemus illum latinitatis sensum, qui raro nos destituebat. Caeterum singularem in iis quae scripta ad eum deferebamus curam et diligentiam nostram exigebat, ac prorsus damnabat extemporalem illam facilitatem, quidni levitatem dicam? quae raro ad aliquam in scribendo perfectionem pervenire sinit. Versuum faciendorum exercitationibus tribuebat multum [26]), quippe

---

[26]) Alio etiam sensu, atque nunc accipi velim, versibus multum tribuebat. Si quis quid petiturus erat ab eo, facillime impetrare poterat, ubi versibus petebat. Recordabuntur sodales mei — si qui forte haec legent — saepius id nos usu expertos esse. Aliquando quum aestivo calore valde prememur, ut lectionum postmeridianarum vacationem ab eo peterem, me miserunt commilitones mei; me autem petere volebant, cui Doeringium ob litterarum latinarum studium admodum favere non ignorarent. Obtemperabam ego, tendebam ad rectorem. Ubi is me adspexit, quum forte quid vellem suspicatus esset, ad intrantem, Heus, inquit, quid vis? Dicebam. Ubi habes versus? Negabam me habere; excusabam temporis brevitatem, quod importunis commilitonum precibus obsecutus propere ad ipsum contendissem. At versu dicendum est, pergebat. Tum ego, cui suo utique tempore

ex qua arte juvenes non solum plurimum proficerent ad scribendi facultatem, sed etiam ad poetarum venustates percipiendas aptiores redderentur. — De arte grammatica ita statuebat [27]). Pleraque praecepta quae in grammaticae elementis tradi solent firmiter memoriae imprimenda esse censebat. Saepenumero enim illud sibi obversari ajebat, quod ut lepide, ita verissime dictum a rectore quodam accepimus: Grammatica est animal superbum, graviter ulciscens contemptum sui [28]). Sed altioris grammaticae, ut quae illis temporibus nondum ad doctrinae formam esset revocata, studium ita spernebat ipse, ut id tamen in aliis laudabile haberet. Quod quo jure fecerit, nolo jam quaerere; id vero non injuria querebatur, per nimium rerum grammaticarum studium hodie juvenes saepe ita detineri, ut uberiorem illum majoremque fructum, qui prudenter institutam veterum scriptorum lectionem sequitur, non attingant, immo per illum abusum usum bene scribendi paene e medio esse sublatum. Profecto permagnam eorum nostra aetate esse paucitatem,

---

in mentem veniebat notissimi illius versus Virgiliani, paulo fidentiore animo

Amant alterna Camoenae

clamabam. Ad quae, Recte ais, ridens inquit et manus perfricans, quod facere solebat, quum totus esset ad hilaritatem compositus, Habeatis vobis hunc diem, indulgeatis genio; sed perlegite mihi quam primum totam eclogam. Redeuntem me facile credas magno commilitonum plausu exceptum fuisse. Quum rem, quomodo gesta esset, exponerem, omnes laudare meam animi praesentiam, rectoris praedicare indulgentiam, se ipsi laetitiae dare.

[27]) Grammatices studium hodie a multis in contemptum vocatum esse quis nescit? Veteres quid de hac arte statuerint, cognoscas ex *Quintil.* Inst. Oratt. I. 4. 6. *Ne quis tamquam parva fastidiat grammatices elementa, — quia interiora velut sacri hujus adeuntibus apparebit multa rerum subtilitas; quae non modo acuere ingenia puerilia, sed exercere altissimam quoque eruditionem ac scientiam possit.*

[28]) Vid. *Wunderlich.* Observatt. ad Aeschyl. p. 76.

qui vel emendate scribant, nedum eleganter, communis est et justa intelligentium hominum querela. Quamobrem ab hoc loco non alienum videtur esse, ut missis omnibus, quae eo spectant, ut in ipsas mali latius in dies serpentis causas inquiramus, id agamus, ut praecepta quaedam tradamus, quae tironibus sint observanda.

Ad vos jam me converto, juvenes carissimi, qui, quo estis litterarum antiquarum amore imbuti, cupidius ex me quaeratis, quid vobis faciendum sit, ut quam in Doeringio admiramini scribendi facultatem non consequamini quidem — hoc enim perpaucis dumtaxat erit concessum — sed ad eam tamen ut proxime adspiretis. Id autem vobis persuadeatis velim, plurima quae jam expositurus sum non mihi, sed Doeringio meo deberi, ut ipsum paene audiatis loquentem.

Sed ut ex multis, quae singula afferre longum est, potiora tantum delibem, scribendi recte sapere est et principium et fons [29]). Quae sermone latino exprimere vis, ea mentis acie perspecta debes habere, verbaque provisam rem non invita sequentur [30]). Enimvero quum earum linguarum, quae hodie populis Europaeis in usu sunt, ea sit ratio, ut interdum, quae minus clare cogitaveris, eorum vel obscurior quaedam atque vaga admodum notio speciosis verborum involucris significari potius quam accurate exprimi aut soleat aut certe possit, haec est linguae latinae propria quaedam virtus, ut quicquid voles dicere tibi ipsi clarum esse debeat et perspicuum. Quod praeceptum utinam multi ex iis, qui hodie philosophari sibi videntur, sequerentur; nae isti non, ut vulgo fit, nebulam pro Junone amplecterentur.

---

[29]) *Horat.* Epist. ad Pison. 309.

[30]) *Horat.* Epist. ad Pison. 321. — Hic etiam locum habet illud Asinii Pollionis: *Male eveniat verbis, nisi rem sequantur.* Cf. *Ruhnk.* Eclog. Hemst. p. 52.

Porro quum latinae linguae usum non cum lacte nutricis nobis sugere liceat, sed quum ejus cognitio unice ex veterum scriptorum lectione petenda sit, horum quidem scripta diurna nocturnaque manu versanda esse sponte intelligitur. Sed ad scribendi facultatem comparandam quod attinet, unum tantum egregii cujusdam scriptoris exemplum tibi propone, ad hunc autem totum te compone. Plurimum vero interest, quem tibi scriptorem eligas imitandum. Nimirum eum eligas, cujus omnis indoles atque ratio proxime accedat ad tuam. Nam quum, quam in scribendi genere diversitatem animadvertimus apud alios aliam, ea unice sequatur ex ingeniorum dissimilitudine, apparet te ejus potissimum scriptoris dicendi vim ac proprias virtutes tanto facilius assecuturum esse, quo major tibi cum eo ingenii similitudo intercedat. Sic ut paucis aliquot, sed luculentis utar exemplis, in memorias vobis redeant tres illi heroes, Muretum dico, Lipsium, Ruhnkenium. Ex quibus eum, quem primo loco posui, constat Ciceronem imprimis in dicendo sequutum esse, alterum ad Taciti exemplum se composuisse, Ruhnkenium prae aliis Caesaris Nepotisque genus scribendi felici admodum imitatione expressisse. Nec injuria ita egerunt. Quis est enim, qui nesciat beatam illam Mureti ubertatem non multum abesse a Ciceronis copia et abundantia, Lipsii pressum scribendi genus Taciti referre in dicendo brevitatem, Ruhnkenii concisam tersamque orationem ad ipsius Caesaris elegantiam proxime accedere?

Quodsi eum scriptorem nactus eris, qui tuo ingenio vel maxime respondeat, id age ut te totum in illum insinues quasi eumque imbibas. Et haec tua familiaritas tanta esse debet, ut, quemadmodum inter amicissimos homines ea intercedit animorum conjunctio, ut in pari voluntatum consensione conspirent atque alter alterius mentem vel non monitus assequatur, ita tu, quam ille sibi vindicat proprie-

tatem, tuam feceris [31]); minus latine quidem vulgo dicunt scriptorem aliquem in succum et sanguinem convertere, sed ponam tamen hanc ipsam vocem, qua quid declarare velim optime significatur.

Quum ea porro sit cujusque scriptionis aut orationis lex primaria, ut quicquid in vulgus edis ab omnibus intelligatur, id imprimis tibi spectandum erit, ut vocibus utaris, quae et usu tritae sint [32]) et, si fieri potest, scriptorum aureae aetatis usu comprobatae. Aureum utique est praeceptum, quod Julius Caesar [33]), summus dicendi artifex, secutus esse dicitur: Habe semper in memoria atque in pectore, ut, tamquam scopulum, sic fugias inauditum atque insolens verbum. Hoc tibi quoque dictum puta. Doeringius certe hanc prae aliis quum sequeretur normam, magnam dictioni suae conciliavit elegantiam.

Quum denique haud minima elegantiae pars in numerosa constet oratione, animum prae aliis attentum habe ad id, ut, quem ex latino verborum ordine suavem ad aures cadere sonum intelligimus, cognitum habeas et quasi numeratum digitis. Qua in re plurimum proficies, si quae dictionis suavitate excellunt capita tui scriptoris potiora clara voce recitaveris, immo memoriae impresseris. Quam con-

---

[31]) *Senec.* ita expressit Epist. 84. 7. *suum facere.* de benef. VII. 2. *sui partem facere.*

[32]) Praeclarus est locus *Cic.* de Orat. III. 13. 49. Latine scilicet dicendo verbis usitatis ac proprie demonstrantibus ea, quae significari et declarari volemus, sine ambiguo verbo aut sermone, non nimis longa continuatione verborum, non valde productis iis, quae similitudinis causa ex aliis rebus transferuntur, non discerptis sententiis, non praeposteris temporibus, non confusis personis, non perturbato ordine. Verissime *Quintil.* quoque Oratt. I. 6. 41. Oratio vero, cujus summa virtus est perspicuitas, quam sit vitiosa, si egeat interprete.

[33]) Refert *Macrob.* Saturn. I. 5.

suetudinem quum aliquamdiu servaveris, aurium judicium tam certum erit in peregrina lingua quam in patria.

Vix opus est autem ut moneam, illam scribendi facultatem si quis consequi velit, exercitationem non brevem requiri, sed diuturnam flagitari, sed longo temporis usu firmatam. Exercitatione fit magister, ut est in proverbio [34]. Hoc vobis quoque dictum putatote. Quemadmodum clarissimo illi pictori erat nulla dies sine linea, sic vobis litterarum studiosis nulla dies sit sine pagina. Nec satis factum arbitramini, quum paginam impleveritis, sed cum fastidio quodam quae hodie scripseritis cras retractetis. Quod si quid offenderitis, quod vel severiori judici minus probari possit, agite emendetis, donec tandem aliqua oratio vestra procedat expolitione distincta.

At erunt multi, qui jam clamitent longam esse hanc viam et juvenibus, qui aliarum quoque litterarum studiis teneantur occupati, nimis molestam, immo deviam. Nolite, o boni, ita respondere. Omnis enim, ut scitis, ad quamlibet virtutem consequendam ardua via est [35], nec ulla quidem voluptas sincerior, multo minus ea, quae ex dulci Musarum fonte hauritur, paratur sine sudore. Quam vero in veterum linguarum studium impenditis vel intentissimam curam, ea uberrimos paratura vobis fructus est; nec est quod vereamini, ne, si qui vestrum, quum ex his angustis scholae carceribus effugerint, nullam amplius latine aut scribendi aut dicendi nacti fuerint opportunitatem, omnem illam operam, quam in his litteris discendis posuerint, frustra se collocavisse aliquando sint questuri. Enimvero manet iis manebitque illa judicandi vis ingeniique subtili-

---

[34]) Auctor ad *Her.* III. 24. *In omni disciplina infirma est artis praeceptio sine summa assiduitate exercitationis.*

[35]) Noti sunt loci *Hesiod.* Oper. 287. *Ovid.* A. A. II. 537. *Sil. Ital.* XV. 102.

tas, quam tamquam certissimnm praemlum consequetur unus quisque, qui linguarum studinm non leviter tractaverit.

Sed ne nimis longe exspatietur oratio mea, redeat, unde degressa est, ad Doeringii laudes. Qui quum omnes, ut modo exposuimus, egregii praeceptoris partes explevisse sit censendus, tum optime de gymnasio nostro meruit directoris munere rite obeundo. Et alia quidem ac major haec videtur esse laus, quippe quae rarior sit. Ad illas enim virtutes, quibus bonus praeceptor censetur, alia debet accedere, si quis boni rectoris nomine dignus sit habendus, scholae bene regendae artem dico. Haec cernitur maximam partem in prudentia illa atque dexteritate, quae in aliorum hominum usu quam plurimum nos solet adjuvare. Quae in Doeringio tanta fuit, ut proxime eam accessisse dixeris ad calliditatem, sed temperatam illam animi humanitate honestatisque sensu. Quum hominum ingenia probe nosset, et ad alios facile se accommodabat et eorum sibi conciliabat amorem. Quae quum ita sint, non est quod mireris, et collegas eum sibi habuisse devinctos [36]) et maximam eundem vim in discipulorum exercuisse animos.

Ut primum dicam de praeceptoribus, quid est, quaeso, collegae conjunctissimi, quod in Doeringio maxime coluerimus? Nimirum quum videret — quid impedit, quominus quod sentio ingenue fatear? — nos muneris demandati partes, pro suo quemque virium modo, sed religiose tamen omnes obire, non suam nobis importune, ut aliorum non desunt rectorum exempla, obtrudere voluit docendi normam. Quo factum est, ut sua quisque persuasione ductus ad eundem omnes tenderemus finem et amice conspiraremus in ejus consiliis juvandis exsequendisque. Atque haec altera

[36]) *Valer. Max.* V. 8. 2. hominum animos amore sui devinctos habere.

fuit Doeringii virtus nunquam satis praedicanda, ut nos in quoddam vinculum concordiae non redigeret quidem — hoc enim non opus erat, quum alii ultro essemus aliorum studiosi, juniores seniorum quondam discipuli, seniores juniorum semper amantissimi —, sed ut illud vinculum, quo jam tenebamur, nunquam laxari pateretur. Quae collegarum inter nos concordîa atque unanimitas quantum gymnasio nostro profuerit, dicere non attinet. Quemadmodum enim singulorum inter se dissensiones atque discordiae in civitatibus plurimorum malorum exsistunt causae, ita in scholis — ut liceat parva componere magnis — vim habere solent perniciosissimam. Praeceptorum inter se discordia orta, omnis solvitur disciplina, qua sublata schola ipsa paene eversa est putanda. Quamobrem, collegae conjunctissimi, quum id per Doeringium effectum sit, ut nullo tempore turbata sit communis illa atque mutua, qua etiamnunc juncti sumus, concordia, rectorem defunctum vel hoc nomine nunquam desinemus colere atque celebrare [37]).

Idem in juvenum quoque ingeniis et dijudicandis et moderandis miram quandam praestitit et artem et sagacitatem. Nam quum in scholae rectore illud requiratur, ut discipulorum quid valeant humeri, quid ferre recusent, ha-

---

[37]) *Eichstadii* haec sunt verba: «Praecipua laude dignum propterea censeo Doeringium, quod per quadraginta septem annos, quibus rectoris munus apud Gothanos administravit, dexteritate sua et incomparabili prudentiae, probitatis, modestiae exemplo cavit, ne ulla unquam gravior inter scholae illius doctores discordia et simultas existeret. Et ipse non solum diligebatur ab omnibus collegis, sed etiam amabatur. Neque enim amplitudinem rectoris in imperando aut vetando, in novando et multa movendo positam arbitrabatur, sed quod communibus suffragiis probatum esset, jubebat, quod rejectum pro temporis ratione, antiquabat: lubenter auscultabat monitoribus, praesertim quos longa vita ususque multarum rerum docuisset: diligenter eos de rebus scholasticis consulebat.»

beat perspectum, id in Doeringio nemo unquam desideravit. Fuit is, ut uno verbo dicam, perspicacissimus ingeniorum aestimator [38]). Quodsi vel leviter juvenis cujusdam tentavisset et ingenii facultates et litterarum scientiam, raro tantum accidit, ut non eum, quo dignus fuerit, ipsi assignaverit locum.

Ut autem alia jam mittam, magnum hoc in Doeringio et, nisi fallor, unum omnium maxime laudabile, quod, ut domesticis litteris tribuebat quam plurimum, ita eas juvenibus nostris summo opere commendabat. Debuit hoc cum aliis almae matri Portensi. Incredibile est autem dictu quantum domestica diligentia, quae una fere eruditionis est mater, in litterarum studiis promoveantur juvenes. Nos ipsi vidimus et videmus quotidie. Perversa utique ac prava est aliorum opinio, qui sic statuunt, quamplurimis lectionibus discipulos esse onerandos, ut plurima discant. Ut discant? Nempe ut doceantur. Multo profecto interest inter discere et doceri. Discimus quae cognita intelleximus; docemur quae tradita accipimus; quum discimus, oblata digerimus et concoquimus; quum docemur, praemansa in os inseruntur, sed stomachus non perficit [39]). Corporis est autem in ea saltem re eadem ratio atque animi. Quum praeceptores id agunt, ut plurimarum rerum notitiis inferciant juvenes, non reputant illi sic concoctionem impediri, quae nulla alia est

[38]) *Valer. Max.* VI. 6. 2. dixit *certum Romani animi aestimatorem.*

[39]) Similiter *Sen.* Ep. 84. 6. *Concoquamus illa; alioquin in memoriam ibunt, non in ingenium.* Quae sunt praeclara verba. — Qui docentur, non discunt, similes sunt auditoribus illis philosophorum apud eundem *Sen.* Ep. 108. 6., *qui veniunt, ut audiant, non ut discant, qui et cum pugillaribus veniunt, non ut res excipiant, sed verba — pauci illam quam conceperant mentem domum perferre potuerunt.* Quam similes ii multis qui Academias frequentant, nec quid noverunt majus quam ut praeceptorum sapientiam in pugillares condant.

nisi judicandi vis ac subtilitas, quam sibi quisque parere debet nec ab alio potest accipere. Nimia autem lectionum multitudine quum obruuntur discipuli, et animus languet, et vero etiam corpus debilitatur. Ac nescio quo jure nuper Lorinserus juvenum litterarum apud Borussos studiosorum deploraverit sortem, quos plerosque exsangues ac pallidos colore, infirmos atque exhaustos paene corporis viribus depingit [40]; id quidem certum est, omnem hanc criminandi aut causam aut praetextum a nostra schola procul abfuisse et etiamnum, quod laetamur, abesse cum maximo tam docentium quam discentium commodo. Doctores enim non temporis angustiis inclusi, quantum superest otii, tantum ipsis litteris promovendis impendunt; juvenes autem quod sibi liberum a lectionibus concessum esse laetantur tempus, non perdunt, sed ipsi bene collocant, nec demittunt auriculas, ut qui iniqua mente intelligant nimium oneris sibi imponi, sed produnt cultu suo hilaritatem illam, quae juvenile pectus decet, ac servant integrum oris colorem, qui ut pudoris, ita firmitatis haud fallax habetur indicium. Haec igitur instituta a Doeringio scholae nostrae ratio ut ne unquam mutetur aut turbetur, valde est exoptandum nobis praeceptoribus, qui hoc ipsius gymnasii tamquam firmissimum habeamus fundamentum.

Sed ut est in homine nihil ab omni parte perfectum, ita unum aliquid est, quod sunt qui a Doeringio, ut pro rectoris habendus sit exemplo, abesse debuisse contendant. Quid significem, a me non moniti intelligitis. Est lenitas illa, quam interdum paulo solutiorem fuisse nonnulli volunt. Quam criminationem ut ego non totam diluere queo, ita tamen unus omnium promptissimus excusabo, ut qui sciam,

---

[40]) Mirus *Eichstadii* in verbis paena consensus, cujus haec sunt: « Discipulos ita tractabant (Doeringius et Ramshornius), ut disciplina sua procul arcerent querimonias et opprobria illorum, qui adolescentes corpore infirmos, animo tristes et aegros ex gymnasiis dimitti hodie vociferantur. »

illud quicquid fuit erroris, a purissimo fonte, a naturali quadam animi ejus benignitate, quam omnibus praestabat hominibus, profluxisse. Nec est quod obliviscamur hac ipsa rectoris nostri lenitate factum esse, ut aliquoties juvenes, de quibus jam desperandum esse videbatur, in viam sint reducti, quod Doeringii animo summam paravit voluptatem.

Quam praeclara vero Doeringii in scholam nostram fuerint merita quum reputamus, egregium eum rectorem fuisse fateamur necesse est. Nec successu caruit prosperrimo quam gymnasio nostro probavit diligentia ac sollertia, ars atque prudentia. Non alienum videtur ab hoc loco paucis significare, quam ille acceperit scholam, quam nobis reliquerit. Post Strothii obitum quum gymnasio praeficeretur Doeringius, scholae statum non miserum quidem fuisse constat, sed nondum tamen quae Strothius, praeclarissimus homo, quem pauci qui hodie supersunt ejus discipuli magna etiamnunc veneratione prosequuntur, bene instituerat, radices egerant, nedum ut eorum fructus percipi possent. Doeringius igitur is fuit, cujus felicioribus auspiciis radices illae laetissima incrementa caperent, fructus autem sperati ad maturitatem pervenirent. Sed quod haec tempora nos quoque tangunt, ego, qui rectorem mihi celebrandum sumpserim, collegarum meorum nolo fieri laudator. Hae enim laudes si aliquando justae videbuntur esse, alium ac facundiorem me habebunt auctorem. Sed gratus tamen, qui in ipso Doeringio inerat, animus postulat, ut aliorum certe merita non praetermittamus silentio. Quodsi florentissimam ille scholam reliquerit, non sibi soli id deberi, sed scholae patronis, sed collegis quoque lubens agnoscebat. Nactus est autem insigni quodam fortunae favore duos unus Doeringius scholae moderatores, quales vix singuli totis aetatibus exsistunt. *Loefflerum* quis vestrum non meminit? Qui et quantus vir? quantum ille consuluit Doeringio? quan-

tum ille profuit gymnasio? Tu autem, *Bretschneidere* [41]), vir summum venerande, ut plurimas alias tuas laudes quamvis invitus taceam, quum Doeringius annis jam gravior factus esset ac vires ejus viderentur fractae, quantum ipsum indulgentia tua adjuvisti? quantum auctoritate tua sustentavisti? Qua de re quum Doeringius verbis quae ex intimo ejus pectore veniebant saepius mihi retulerit, officio meo oratoris tum demum recte satisfactum esse mihi persuadebo, ubi pro tot tantisque quibus vivum rectorem nostrum cumulavisti benevolentiae documentis gratiam, quam tibi persolvere ipsi per fata non erat concessum, ipsius nomine publice tibi egero. Ac perge tu, vir mihi quoque plurimis nominibus maxime colende, perge, inquam, quod facis, gymnasio nostro ita favere et prospicere, ut, qui nunc rerum nostrarum stator jure celebrandus sis, omni tempore nobis sis colendus.

Postremo quam laudum partem defuncti collegae nostri sibi vindicent, verbo est dicendum. In Doeringii igitur laudum societatem quis vestrum est qui nesciat venire, ut potiores tantum nominem, *Kaltwasserum*, *Gallettium*, *Lenzium*, *Regelium*? Vos igitur, qui mihi quondam praeceptores fuistis fideles ac benigni, hanc una cum Doeringio meam plurimorumque, qui vestra institutione usi sumus, gratiae significationem accipiatis sincerissimam. Avete, piae animae!

Quod superest, preces ad Deum Optimum Maximum fundimus ardentissimas pro hujus scholae incolumitate atque integritate. Utinam Deus faxit, ut suus huic scholae

[41]) *Bretschneiderus* incommoda valetudine impeditus erat quominus Doeringii, cui multum favebat, laudibus audiendis adesse posset. Sed quum lubentissime rebus nostris interesse soleat, postquam paucis verbis quae ex tempore dicebam auditores admonueram, quae ejus absentiae esset causa, ita eum alloquendum censebam, quasi praesens adesset.

maneat splendor ac fama! Utinam nos collegae, quibus juncti sumus, servemus concordiae vincula! Utinam eundem vigorem animique alacritatem etiam senioribus nostrum per corporis vires diu praestare liceat! Utinam vos, juvenes dilectissimi, in posterum quoque morum probitate sitis conspicui, utinam iidem indefessam in litterarum studiis retineatis diligentiam! Quae si rata esse jusserit Deus Optimus Maximus, hujus bonarum litterarum officinae fama firma erit et diuturna, atque una cum Doeringii laudibus usque ad remotissimam propagabitur posteritatem. Dixi.

INDEX
eorum quae in hoc libro ad latinitatem maxime spectant.